DE

ANASTASIO SINAITA.

DISSERTATIO

QUAM SCRIPSIT

JOANNES BAPTISTA KUMPFMÜLLER,
DIOECESIS RATISBONENSIS PRESBYTER.

Für den Buchhandel debitirt
durch **Friedr. Pustet** in Regensburg.

DE

ANASTASIO SINAITA.

DISSERTATIO

QUAM SCRIPSIT

JOANNES BAPTISTA KUMPFMÜLLER,

DIOECESIS RATISBONENSIS PRESBYTER.

Für den Buchhandel debitirt
durch **Friedr. Pustet** in Regensburg.

DE

ANASTASIO SINAITA.

DISSERTATIO

QUAM SCRIPSIT

JOANNES BAPTISTA KUMPFMÜLLER,

DIOECESIS RATISBONENSIS PRESBYTER.

WIRCEBURGI.

TYPIS FRIDERICI ERNESTI THEIN.

1865.

REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO

PRAESULI ET DOMINO

DOMINO

IGNATIO DE SENESTRÉY,

EPISCOPO RATISBONENSI,

PATRICIO ROMANO, SUMMI PONTIFICIS PRAELATO DOMESTICO EJUSDEMQUE SOLIO ASSISTENTI, PHILOSOPHIAE ET SS. THEOLOGIAE DOCTORI, ORDINIS MERITORUM CORONAE BAVARICAE EQUITI, CAPITULI CATHEDRALIS EYSTETTENSIS MEMBRO HONORARIO &c. &c.

HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS IN SIGNUM DEVOTISSIMAE SUAE PIETATIS ET REVERENTIAE

HUMILLIME DICAT

OBEDIENTISSIMUS

AUCTOR.

INDEX.

Pag.

PRAEFATIO 1

Status quaestionis. 1. — Quinam Anastasii ab hac quaestione exclusi. 2.

CAP. I. DE DUOBUS ANASTASIIS PATRIARCHIS ANTIOCHENIS 4

Anastasius prior. 4. — Anastasius et Gregorius Magnus. 8. — Anastasius junior. 12. — Error Nicephori. 13. — Non sunt Sinaitae. 14.

CAP. II. DE HODEGI AUCTORE 16

§ 1. Nomen et tempus auctoris 16

§ 2. Rejicitur sententia eorum qui dicunt, Hodegi opus esse nullo ordine conscriptum atque adeo interpolatum . . 19

Finis hujus operis. 19. — Progymnasia, instruens quemlibet studiosum, in quibus se ante omnia exercere debeat. 21. — Hod. cap. III. 25. — De ejus temporis haereticis. 28. — Anastasius contra ipsos. 29. — Quaedam Monophysitarum objectiones, quomodo ab Anastasio solvantur. 32. — Qualem ipse Anastasius de unione Christi hypostatica fidem habuerit. 38. — De „protheoria ad definitiones Hodegi" (cap. I) 40. — De „expositione fidei" (cap. I) 42. — De prooemio Hodegi. 45. — Scholia non sunt interpolata. 46. — „Expositio fidei" (cap. I) et „Definitiones" (cap. II) sunt Anastasii. 48. — Opus non est interpolatum. 50.

§ 3. Tempus auctoris accuratius ex ipso libro eruitur . . . 51

De Harmasitis. 53.

§ 4. Refutatur Oudinus 54

CAP. III. DE SERMONE III IN ILLUD: SECUNDUM IMAGINEM 64

Est Anastasii Hodegi auctoris. 64. — Claruit Anastasius etiam post a. 700. 69. — Quae tradat auctor de origine atque damnatione haeresis Monotheleticae. ibid.

Pag.

CAP. IV. DE QUAESTIONIBUS 154 74
Judicium Cavei. 74. — Oudini. 75. — Non omnes quaestiones ad eundem auctorem spectant. 76. — Complures tamen ad Hodegi auctorem. ibid. — Conveniunt Anastasii etiam tempori. 80. — De quaestionibus 137 ad Antiochum. 83. — Quaest. 117. collata cum quaest. 44. ad Ant. 85. — Quaestiones selectae. 91.

CAP. V. DE LIBRIS XII IN HEXAEMERON 104
Finis hujus operis. 104. — Sunt ejusdem cum Hodego auctoris. 109. — Consonat tempus. 115. — Quaedam ex illis excerpta. 118.

CAP. VI. DE CAETERIS SCRIPTIS 137
1. Oratio de sacra synaxi, ex qua nonnulla allegantur . . . 137
2. Orationes duae in Ps. VI. 144
3. Disputationes III adv. Judaeos 147
4. Orationes quinque de rectis veritatis dogmatibus 148
5. Alia scripta 150
6. Tractatus de tribus Quadragesimis. — Refutatur Oudini Anastasius IV. 152

CAP. VII. DE ANASTASIO SINAITA, QUAE PASSIM INVENTA SUNT, COLLIGUNTUR 153
Non fuit patriarcha. 156. — Adduntur pauca de monte Sinai. 158.

CAP. VIII. QUALEM MENTEM DE SS. EUCHARISTIA HABUERINT ANASTASIUS SINAITA ET ANASTASIUS PRIOR ANTIOCHENUS 161

APPENDIX 174

PRÆFATIO.

Quis fuerit Anastasius Sinaita, quandonam vixerit quaeque scripserit, in diversas scriptores maximeque distantes abeunt sententias. Atque alii quidem patriarcham eum fuisse Antiochenum affirmant [1]), alii negant [2]). Praesertim Oudinus, saeculi elapsi scriptor, qui hac de re proprias dissertationes elaboravit [3]), quatuor Anastasios Sinaitas distinguit, quos eosdem facit etiam patriarchas Antiochenos. Quorum duos priores eos ponit, qui sub finem saeculi sexti et saeculi septimi initio patriarchatum Antiochenum tenuerunt, Gregorio Magno tempore aequales, tertium vero cum Caveo [4]) ad annum 685. p. Chr. n. assignat [5]), quartum denique ad saeculi undecimi initium circa annum 1010. vel 1020. collocat,

---

[1]) Nicephorus, Histor. Eccl. lib. XVIII. cap. 44; Martyrol. Rom. 21. April. aliique recentiores quam plurimi.

[2]) Vide notitiam ex Fabricii Biblioth. Graec. ed. Harless, tom. X. pag. 571 in Patrol. Graec. tom. 89. Editionis Mignianae col. 11 et 12. — Accedit Damberger in annotationibus criticis ad Historiae suae medii aevi synchron. tomum I. pag. 169 et 170.

[3]) Vide Casimiri Oudini commentarium de scriptoribus ecclesiae antiquis. Lipsiae. 1722: Dissertatio de diversis Anastasiis Sinaitis et Antiochenis episcopis in tom. I. col. 1481 seqq.; Dissert. de Anastasio episcopo Antiocheno & Sinaita nominis quarto in tom. II. col. 544—586.

[4]) V. Guilielmi Cavi scriptorum ecclesiasticorum historiam literariam, ed. Genevae 1720. p. 392 ad ann. 685.

[5]) Oudin. tom. I. col. 1663 sequ.

vel potius, ut ejus ipsius voce utar, detrudit. Huic suo quarto Anaštasio omnia paene scripta, quae sub Anastasii sive Sinaitae sive Antiocheni nomine exstant, attribuit. Hinc operae pretium mihi visum est, quid de Anastasio Sinaita sentiendum sit, ex ipsis operibus eruere.

Sed id inprimis benevolum lectorem attendere volo, me hic non agere de codicibus manuscriptis, qui in variis bibliothecis ubicunque locorum exstent [1]), sed ea potissimum ac fere solum respicere, quae impressa habentur in edit. Migniana Patrol. Graec. tom. 89., ad quam semper amicus lector revocari se sciat, quotiescumque columnas solum citaverimus, nullius operis mentione facta.

Caeterum ab hac quaestione exclusos esse monuerim imprimis duos illos Anastasios, S. Maximi monachi et martyris discipulos. „Quorum unus Anastasius, primum monachus, deinde abbas, natus a. 618, S. Maximi magistri itinerum, calamitatum, exiliorum per integrum decennium comes individuus, claruit a. 655, quo una cum S. Maximo Imperatoris jussu Roma Constantinopolim asportatus est, ibi in judicium tractus, diris modis exagitatus ac demum Perberim relegatus. A. 662. Lazica cum B. Maximo deportatus est, ubi tam ex tormentorum et verberum quae Byzantii sustinuerat copia quam ex afflictionibus et angustiis hoc in loco ipsi illatis vix adhuc semivivus die 24. Julii a. 644. in Domino obdor-

---

[1]) Solius mihi copia fuit Bavarici cod. Graeci 53, ex humanitate et opera spectatissimi viri ac domini A. Ruland, S. Theol. Doctoris ac summi Praefecti Bibliothecae almae Universitatis Herbipolensis. Eum igitur codicem accuratius cum Quaestionibus impressis in Patrol. Gr. tom. 89. Ed. Mign. col. 311 seqq. contuli. Qui licet optimo fructu in nova Quaestionum editione instituenda colligeretur, utpote qui plerasque lectiones contineat, quae in impressis desiderantur, vel ex quibus impressae optime corrigi possint, atque ab omnibus hucusque collectis codicibus aliquid differre videatur, tamen in eo nihil inveni, ex quo judicium meum, ex impressis quaestionibus petitum, reformari posse existimem.

mivit" [1]). Huic Oudinus [2]) cum Caveo [3]) ascribit epistolam ad commune monachorum apud Calarim constitutorum collegium [4]). — Alter vero „Anastasius, Ecclesiae Romanae presbyter et apocrysiarius, B. Maximi et ipse discipulus, claruit a. 655, quo ob Maximi praeceptoris causam et orthodoxae veritatis confessionem Mesembriam Thraciae urbem in exilium missus est; postea Trapezuntem relegatus, a. 662. una cum B. Maximo in Lazorum regionem deportatur, ubi a Maximo et Anastasio cognomine exilii sociis divulsus et in varia deinde loca relegatus demum obiit a. 666, die 11. Octobris" [5]). — His duobus Anastasiis addo tertium „Anastasium, monasterii S. Ethymii in Palaestina abbatem, qui claruit a. 741. atque demum 749, cum de Trisagio male sentire inciperet, totum id ad Filium referens, occasionem dedit Joanni Damasceno, epistolam de Trisagio ad Jordanem coenobiarcham contra errorem ejus scribendi" [6]). Ab hoc Oudinus [7]) et Caveus scriptum esse volunt, sed perperam [8]), librum contra Judaeos, qui habetur col. 1203 seqq. — Quartus denique accedit Anastasius, S. Rom. Eccl. Bibliothecarius circa a. 880, quem Oudino teste nonnulli ad a. 886. vitam prorogasse volunt. — De his itaque aliisque Anastasiis sive prioribus sive recentioribus hic disserere non intendo, sed de solis duobus Anastasiis Antiochenis episcopis et Gregorio M. tempore aequalibus, quippe qui saepius cum Sinaita confundantur, atque de Sinaita ipso.

---

[1]) Cave, l. c. pag. 385. [2]) Oudin. tom. I. col. 1481. [3]) Cave, loc. cit.

[4]) Citatur in Patr. Gr. tom. 89. col. 1409, exstat vero ejusd. Patrol. Gr. Edit. Mign. tom. 90 col. 734, Patrol. lat. tom. 129 col. 623.

[5]) Cave, pag. 386. ad a. 660. [6]) Cave, p. 414.

[7]) Oudin. tom. I. col. 1797 ad a. 750. [8]) cf. infra cap. VI. 3.

CAPUT I.

DE DUOBUS ANASTASIIS PATRIARCHIS ANTIOCHENIS.

Duo fuerunt circa saeculi sexti finem et septimi initium Anastasii patriarchae Antiocheni, qui se in patriarchali solio excepere, ambo deinde inter Sanctos relati.

1. Ac prior quidem Anastasius a. 559 [1]) post Domninum [2]) in Antiochenam sedem evectus est. Quam quiete tenuisse videtur usque dum Justinianus Imperator (regn. ab a. 527 usque ad a. 565), teste Evagrio [3]), „a recta catholicorum dogmatum via deflectens, et tramitem ingressus, quem nec Apostoli nec Patres vestigiis suis triverant, in spinas ac tribulos delapsus est. Quibus cum Ecclesiam quoque replere voluisset, voti sui compos fieri nunquam potuit, cum Dominus regiam viam firmissimis septis muniisset, ne sicarii ac latrones in eam insilire possent, tanquam pariete inclinata et maceria depulsa.... Scripsit igitur Justinianus id quod Romani edictum vocant. In quo corpus Domini incorruptibile appellat, et naturalium atque inculpabilium affectionum capax fuisse negat: Dominum ante passionem eodem modo comedisse dicens quo post passionem comedit, cum sacrosanctum ejus Corpus jam inde ex quo in utero formatum est, nullam conversionem aut mutationem nec in voluntariis et naturalibus perpessionibus nec post resurrectionem acceperit. Porro Justinianus omnes ubique episcopos per vim cogere instituit, ut huic opinioni assentirentur. Sed cum universi sententiam Anastasii Antiochensis Episcopi exspectare se respondissent, primum Imperatoris impetum declinarunt“. „Porro iste Anastasius vir fuit tum in divinis litteris admodum eruditus,

---

[1]) Pagi ad a. 561 § 2; Lequien. Or. Christ. tom. II. p. 734.

[2]) Evagrius, Hist. eccl. l. 4, cap. 39.

[3]) Evagr., eod. cap. 39 lib. 4.

tum in moribus et vivendi ratione accuratissimus, adeo ut res etiam levissimas observaret, nec a constantia et firmitate unquam deflecteret, nedum in magni momenti rebus et quae ad Deum spectarent. Mores autem suos ita temperaverat, ut neque adeundi atque alloquendi ipsum facilitas expositum illum redderet iis, quibus minime oportebat; nec severitas et inclementia inaccessum eum praestaret juri atque rationi. Et in seriis quidem colloquiis aures ei patentes et lingua profluens erat, et quaestiones propositas prudenter et argute dissolvebat. In sermonibus autem ineptis ac superfluis aures quidem penitus reclusas habebat, linguam vero quasi fraeno quodam comprimebat, ita ut orationem ratio metiretur et silentium omni oratione praestantius esset. Hunc igitur, tanquam inexpugnabilem murum, omni machinarum genere oppugnare adortus est Justinianus, id scilicet secum ipse cogitans, se si hoc propugnaculum subruisset, urbem posthaec nullo negotio capturum esse, et rectae fidei doctrinam in servitutem reducturum, denique oves Christi captivas abducturum".

„Anastasius vero divina quodam animi celsitudine adeo supra Imperatorem sese extulit, quippe qui fundatus esset supra firmam petram, ut missa ad Justinianum relatione palam ei contradixerit et manifestissime simul et dissertissime in eadem relatione ei demonstraverit, Corpus Domini in perpessionibus naturalibus et quae in reprehensionem non cadunt, corruptioni obnoxium fuisse, atque ita divinos Apostolos et sanctos Patres sensisse ac posteris tradidisse. Eadem quoque rescripsit ad monachos primae et secundae Syriae, qui ipsum consuluerant; cunctorum animos confirmans et ad subeundum certamen praeparans et quotidie in Ecclesia recitans verba illa ab electionis vase prolata: „„Si quis vobis evangelizaverit praeter id quod accepistis, quamvis Angelus ex coelo fuerit, anathema sit"" [1]). Quae cum

---

[1]) Gal. 1, 9.

universi animo perpenderent, paucis exceptis, exemplum ejus secuti sunt. Scripta est etiam ab eodem Anastasio oratio ad Antiochenos, qua illis valedicebat [1]), cum accepisset Justinianum velle se in exilium mittere. Quam quidem orationem merito quis admiretur, tum ob verborum elegantiam, tum ob copiam sententiarum, tum denique ob frequentia sacrae Scripturae testimonia, et ob historiam suis locis apte accomodatam" [2]). „Verum oratio illa haudquaquam publicata est, eo quod Deus noster prospiciens res nostras [3]) in melius commutavit. Etenim Justinianus, dum adversus Anastasium et qui cum ipso erant, sacerdotes deportationis sententiam dictaret [4]), invisibili plaga ictus ex hac luce migravit" [5]). „Porro Justinus, Justiniani et nepos et successor, Anastasium quoque ex Antiochena sede dejecit, objiciens ei, tum quod sacram pecuniam in superfluos ac minime necessarios usus profudisset, tum quod ipsi conviciatus esset. Nam cum interrogatus fuisset Anastasius, cur adeo profuse sacram pecuniam dilapidaret, disserte responderat, ne a Justino, communi peste ac pernicie, diriperetur. Dicebatur autem Justinus idcirco infensus fuisse Anastasio, quod cum pecuniam ab eo ad episcopatum promoto postulavisset [6]), Anastasius ei dare noluerat. Objiciebantur praeterea eidem Anastasio alia quaedam, nonnullis Imperatoris proposito ac voluntati gratificari studentibus" [7]). Aliam causam affert Henricus Valesius in annotationibus ad Historiam Evagrii ex Theophanis Chronico, cujus haec sunt verba: „Eodem anno (570) magnus Anastasius Episcopus Antiochenus, cum in responsione sua ad synodicas epistolas reprehendisset Joannem Constanti-

---

[1]) λόγος συντακτήριος. [2]) Evagr. lib. 4, cap. 40. [3]) Evagrii sunt verba.

[4]) Damberger in Hist. med. aevi synchr. tom. I. p. 204 Anastasium re vera jam tunc Justiniano imperante in exilium missum esse gratis asserit.

[5]) Evagr. lib. 4, cap. 41. [6]) scilicet quum nondum imperaret.

[7]) Evagr. libr. 5, cap. 5.

nopolitanum [1]), qui Joannem Alexandriae Episcopum ordinaverat, et eum qui ab illo fuerat ordinatus, simul pertrinxisset [2]), pulsus est suo Episcopatu ob indignationem Justini", qui ut ait Valesius, Joannem Scholasticum diligebat, a quo videlicet fuerat coronatus [3]).

Itaque Anastasius in exilium pulsus est anno 570, cum ex Nicephori Chronico et Theophanis tabulis sedisset annos undecim, ejus autem loco Gregorius quidam [4]) illegitime suffectus, quem tamen in aliis abunde laudat Evagrius [5]). Ubi autem Anastasius exul fuerit, prorsus incertum relinquitur [6]). Ac gratis quidem affirmat Damberger, eum in monasterium suum [7]) rejectum fuisse atque ibidem per exilii sui spatium degisse. Tandem post 23 annos a Mauricio Imperatore (regn. ab a. 582—602) instante imprimis Gregorio Magno Pontifice in sedem suam restitutus, vel post vel

---

[1]) quippe qui in locum viventis Eutychii contra regulas ecclesiasticas intrusus fuisset. (Vales.)

[2]) quippe qui ab illo ordinatus ordinatoris sui vitium ac labem in se pertraxisset. (Vales.)

[3]) Henrici Valesii annot. ad lib. 5, c. 5. Hist. Evagr. in haec verba: προσεφέρετο δὲ καὶ ἕτερα.

[4]) Gregorius hic teste Evagrio lib. 5, cap. 6. Primum monasterio Byzantiorum praefuit, deinde vero Justini jussu monachis Sinae montis praefectus illinc ad Pontificatum evocatus est.

[5]) Evagr. lib. 5, c. 6 et sequentibus.

[6]) „Eutychius quidem ait, exauctoratum Anastasium „„dissimulato habitu Hierosolyma profectum esse, ubi in templo Resurrectionis candelapta factus, lucernas accenderit, eoque munere 24 annis functus sit... nemine interim ipsum patriarchatu functum esse dignoscente"". Sed haec non cohaerent cum epistolis sancti Gregorii M. tum de ipso, tum ad ipsum nondum revocatum scriptis, quae sane tam ignotum fing. per id tempus Anastasium neutiquam patiuntur". (Ex Act. SS. Juli T. IV. p. 97 in Edit. Mign. Patrol. Gr. tom. 89. col. 1304 CD.)

[7]) Damberger, Hist. synchr. tom. I. pag. 262 et 184. Intelligit autem monasterium montis Sinai (cf. pag. 203.), Nicephorum errantem secutus cf. infra pag. 14 sequ.

universi animo perpenderent, paucis exceptis, exemplum ejus secuti sunt. Scripta est etiam ab eodem Anastasio oratio ad Antiochenos, qua illis valedicebat [1]), cum accepisset Justinianum velle se in exilium mittere. Quam quidem orationem merito quis admiretur, tum ob verborum elegantiam, tum ob copiam sententiarum, tum denique ob frequentia sacrae Scripturae testimonia, et ob historiam suis locis apte accomodatam" [2]). „Verum oratio illa haudquaquam publicata est, eo quod Deus noster prospiciens res nostras [3]) in melius commutavit. Etenim Justinianus, dum adversus Anastasium et qui cum ipso erant, sacerdotes deportationis sententiam dictaret [4]), invisibili plaga ictus ex hac luce migravit" [5]). „Porro Justinus, Justiniani et nepos et successor, Anastasium quoque ex Antiochena sede dejecit, objiciens ei, tum quod sacram pecuniam in superfluos ac minime necessarios usus profudisset, tum quod ipsi conviciatus esset. Nam cum interrogatus fuisset Anastasius, cur adeo profuse sacram pecuniam dilapidaret, disserte responderat, ne a Justino, communi peste ac pernicie, diriperetur. Dicebatur autem Justinus idcirco infensus fuisse Anastasio, quod cum pecuniam ab eo ad episcopatum promoto postulavisset [6]), Anastasius ei dare noluerat. Objiciebantur praeterea eidem Anastasio alia quaedam, nonnullis Imperatoris proposito ac voluntati gratificari studentibus" [7]). Aliam causam affert Henricus Valesius in annotationibus ad Historiam Evagrii ex Theophanis Chronico, cujus haec sunt verba: „Eodem anno (570) magnus Anastasius Episcopus Antiochenus, cum in responsione sua ad synodicas epistolas reprehendisset Joannem Constanti-

---

[1]) λόγος συνταχτήριος. [2]) Evagr. lib. 4, cap. 40. [3]) Evagrii sunt verba.

[4]) Damberger in Hist. med. aevi synchr. tom. I. p. 204 Anastasium re vera jam tunc Justiniano imperante in exilium missum esse gratis asserit.

[5]) Evagr. lib. 4, cap. 41. [6]) scilicet quum nondum imperaret.

[7]) Evagr. libr. 5, cap. 5.

nopolitanum [1]), qui Joannem Alexandriae Episcopum ordinaverat, et eum qui ab illo fuerat ordinatus, simul pertrinxisset [2]), pulsus est suo Episcopatu ob indignationem Justini", qui ut ait Valesius, Joannem Scholasticum diligebat, a quo videlicet fuerat coronatus [3]).

Itaque Anastasius in exilium pulsus est anno 570, cum ex Nicephori Chronico et Theophanis tabulis sedisset annos undecim, ejus autem loco Gregorius quidam [4]) illegitime suffectus, quem tamen in aliis abunde laudat Evagrius [5]). Ubi autem Anastasius exul fuerit, prorsus incertum relinquitur [6]). Ac gratis quidem affirmat Damberger, eum in monasterium suum [7]) rejectum fuisse atque ibidem per exilii sui spatium degisse. Tandem post 23 annos a Mauricio Imperatore (regn. ab a. 582—602) instante imprimis Gregorio Magno Pontifice in sedem suam restitutus, vel post vel

---

[1]) quippe qui in locum viventis Eutychii contra regulas ecclesiasticas intrusus fuisset. (Vales.)

[2]) quippe qui ab illo ordinatus ordinatoris sui vitium ac labem in se pertraxisset. (Vales.)

[3]) Henrici Valesii annot. ad lib. 5, c. 5. Hist. Evagr. in haec verba: προσεφέρετο δὲ καὶ ἕτερα.

[4]) Gregorius hic teste Evagrio lib. 5, cap. 6. Primum monasterio Byzantiorum praefuit, deinde vero Justini jussu monachis Sinae montis praefectus illinc ad Pontificatum evocatus est.

[5]) Evagr. lib. 5, c. 6 et sequentibus.

[6]) „Eutychius quidem ait, exauctoratum Anastasium „„dissimulato habitu Hierosolyma profectum esse, ubi in templo Resurrectionis candelapta factus, lucernas accenderit, eoque munere 24 annis functus sit... nemine interim ipsum patriarchatu functum esse dignoscente"". Sed haec non cohaerent cum epistolis sancti Gregorii M. tum de ipso, tum ad ipsum nondum revocatum scriptis, quae sane tam ignotum fing. per id tempus Anastasium neutiquam patiuntur". (Ex Act. SS. Juli T. IV. p. 97 in Edit. Mign. Patrol. Gr. tom. 89. col. 1304 CD.)

[7]) Damberger, Hist. synchr. tom. I. pag. 262 et 184. Intelligit autem monasterium montis Sinai (cf. pag. 203.), Nicephorum errantem secutus cf. infra pag. 14 sequ.

sub [1]) Gregorii mortem, iterum Ecclesiam Antiochenam rexit annos sex [2]) ac diem supremum obiit a. 599. [3]) die 21. [4]) April. ut habet Martyrol. Romanum.

Vir iste Anastasius S. Gregorio M. familiarissimus erat, ut liguet ex Gregorii M. epistolis, quae adhuc exstant. Utinam eas quoque haberemus, qua ipse Anastasius ad Fregorium Papam dedit! Hic pontifex eum semper in patriarchis habebat [5]) atque admodum aegre ferebat, quod in exilium missus esset neque missus restitueretur. Ac tanto eum honore prosequebatur, ut ei claves quas dicit s. Petri transmitteret [6]) eumque suo honori [7]) restitutum secum Romae habere usque cuperet [8]). Ideo etiam libellum ad Mauricium Imperatorem supplicem pro eo disposuerat, sed mittere noluit nisi interrogato prius ipsius Anastasii animo, quem ut exploratum sibi faceret, mandavit Sebastiano cuidam episcopo Rhisiniensi [9]): attamen, quid Anastasius

---

[1]) Hoc Valesius conjicit in annot. ad Evagr. Hist. lib. 6 cap. 24 ex his Evagrii verbis: τελευτᾷ δὲ γρεγόριος.... ἀναστασίου τῷ οἰκείῳ ἀποδοθέντος θρόνῳ.

[2]) Ex Nicephori Chronico; Theophanes in tabulis annos quinque tantum ei restituto attribuit, col. 1291 ex Gallandio Vet. Patr. Biblioth. tom. 12. pag. 17.

[3]) Secundum alios a. 598, sed cf. col. 1305 et 1306 A ex Act. SS. tom. IV. Jul. pag. 99.

[4]) Secundum Menologium Graecorum part. III. p. 64. die 20. Aprilis.

[5]) „Praeterea, sicuti patriarchis aliis, synodicam vobis epistolam direxi; quia apud me semper hoc estis, quod ex omnipotentis Dei munere accepistis esse, non quod ex voluntate hominum putamini non esse.“ Lib. epist. I. ep. 26.

[6]) Reg. epist. lib. I. ep. 26. Hae autem „claves St. Petri“ fuisse videntur reliquiae sacrae thecis formam clavium habentibus inclusae cum pulvere de catenis S. Petri collecto. Eas S. Gregorius variis passim dono dedit, ut patet ex ejus epistolis.

[7]) Distinguit inter honorem et actualem jurisdictionem possessionemve.

[8]) Lib. I. ep. 7. in fine.

[9]) Lib. I. ep. 27. „Indico suggestionem me apud piissimos dominos (intelligit Mauricium et filium ejus Theodosium jam coronatum) summis

responderit, non est compertum. Insigne antem, quanto dilectionis vinculo ambo inter se conjuncti sint, testimonium est ep. 7. lib. I., cujus haec sunt verbo: „Epistolas Beatitudinis vestrae ut fessus requiem, salutem aeger, fontem sitiens, umbram aestuans accepi. Neque enim illa verba per linguam carnis videbantur expressa, sed sic spiritualem amorem quem gestabat aperuit, ac si mens per semetipsam loqueretur. Sed durum valde fuit, quod secutum est, quia amor vester terrena me portare onera praecepit; et quam prius spiritaliter diligebatis, postea, ut existimo, temporaliter amantes usque ad terram me superposito onere depressistis, ita ut mentis rectitudinem funditus perdens, contemplationisque aciem omittens, non per prophetiae spiritum, sed per experimentum dicam: „Incurvatus sum et humiliatus sum usquequaque“ (Ps. 118, 107). Multis enim causarum fluctibus quatior et tumultuosae vitae tempestatibus affligor, ita ut recte dicam: „Veni in altitudinem maris et tempestas demersit me“ (Ps. 68, 3). Periclitanti igitur mihi orationis vestrae manum tendite, vos qui in virtutum littore statis. Quod vero me os Domini, quod lucernam dicitis, quod multis prodesse perhibetis, hoc quoque mihi ad iniquitatum mearum cumulum accedit, ut cum vindicari in me iniquitas debuit, laudes pro vindicta recipiam. Quibus autem hoc in loco terennarum rerum tumultibus premor, explere vobis nequeo; quod tamen colligere ex brevitate epistolae potestis,

---

precibus plenam fecisse, ut virum beatissimum dominum Anastasium patriarcham, concesso usu palii, ad B. Petri App. principis limina mecum celebraturum solennia Missarum transmittere debuissent; quatenus si ei ad sedem suam minime reverti liceret, saltem mecum in honore suo viveret; sed quae causa fuerit, ut eadem scripta retinerem, praesentium lator vobis innotescet. Ejus tamen domni Anastasii animum cognoscite et quidquid ei de hac re placuerit, vestris epistolis mihi indicate“. Quis autem fuerit iste Rhisiniensis episcopus, incertum relinquitur, cf. notam ad eam vocem in Patrol. Lat. tom. 77. part. III. ep. 27. lib. I. in registro, Edit. Mign.

in qua ei minus loquor, quem plus omnibus diligo". Unde nihil mirum, quod eidem in suam sedem restituto maximo animi gaudio gratulatur eumque de amissa quiete conquerentem consolatur his verbis: „Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis (Luc. 2, 14); quia magnus ille fluvius, qui quondam arentia Antiochiae saxa reliquerat, tandem ad proprium alveum reversus et subjectas juxta positas valles rigat. Jam nunc dubium non est, multos in ejus vallibus animarum flores excrescere eosque ad maturos usque fructus per linguae vestrae fluenta pervenire. Unde omnipotenti Deo debitam laudem cordis atque oris vocibus ex omnibus medullis reddimus, et in vestra beatudine non vobis tantummodo, sed omnibus qui vobis subjacent, congaudemus. Suscepi vero epistolas dulcissimae atque suavissimae sanctitatis vestrae, ipsum ut ita dicam laborem sudantes. Et quidem scio, quod post illa quietis culmina, in quibus secreta coelestia cordis tangebas manu, grave valde sit, exteriora tolerare. Sed memento quia apostolicam sedem regis, et dolorem citius temperas, quoniam omnibus omnia factus es. Benedictionem autem vestram qua debuimus mente suscepimus, bene redolentem, bene sapientem: et omnipotenti Deo gratias agimus, quia et odora sunt et sapora, quae agitis, quae dicitis, quae datis. De vita igitur vestra dicamus pariter, dicamus omnes: Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis" [1]). Eundem denique sub finem vitae constitutum inter adversitates hujus mundi confirmat ep. 2. lib. 8. „Suscepi, inquit epistolas suavissimae beatitudinis vestrae, quae pro verbis lacrymas fluebant.... Ecce in sancta senectute beatitudo vestra multis tribulationibus laborat, sed perpendat, cujus sedem sedeat." Et postea: „Indicat mihi suavissima sanctitas vestra, quod mecum, si potuisset fieri, sine charta et calamo loqui voluisset et dolet, quod nobis Orientis pene et Occidentis spatium

---

[1]) Lib. V. ep. 39. data indict. XIII.

interjacet. Sed hoc quod sentio verum dico: et in charta mihi mens vestra sine charta loquitur, quia in verbis vestrae sanctitatis sola charitas sonat; et divisi locis non sumus, qui ex dono omnipotentis Domini dilectionis vinculo uniti sumus. Cur igitur accipere pennas columbae deargentatae quaeritis, quas jam habetis? Pennae quippe ejus sunt charitas Dei et proximi. Per ipsas enim sancta Ecclesia evolat, per ipsas terrena omnia transcendit: quas si vestra sanctitas non haberet, ad me cum tantá charitate per litteras non venisset. Rogo autem, ut pro mei cordis infirmitate enixius rogetis, quatenus omnipotens Deus mentem meam vestra intercessione tueatur, et citius me de tot procellis hujus tempestatis eripiat, atque in aeterna quietis littora perducat. Benedictiones vero locupletissimas omnes quae directae sunt, suscepi, quas mihi vir Dei pauper spiritu transmisisti, de quibus dicitis: Quid enim det pauper nisi ea quae paperis sunt? Sed nisi vos per humilitatis spiritum pauperes essetis, benedictiones vestrae locupletes non fuissent. Omnipotens Deus sua vos a malis omnibus protectione defendat: et quoniam vita vestra bonis omnibus valde est necessaria, post longa adhuc tempora vos ad coelestis patriae gaudia perducat". Sed quum arctissimo hoc amicitiae et charitatis vinculo conjuncti essent, tamen non in omni prorsus re eandem mentem habebant. Quum enim Anastasius universalis vocabulum, a Constantinopolitano Episcopo usurpatum, non magni interesse sentiret atque Gregorium maligno spiritui animas quaerenti cribrare pro nulla causa locum dare dixisset, hoc ei Gregorius non consentit atque eo vocabulo superbo fidem Ecclesiae corrumpi contendit [1]).

---

[1]) Lib. VII. ep. 27. data indict. XV.: „Quod vero dicitis pro nulla causa dare nos locum scandalo non debere, haec mihi et piissimus Dominus filius noster scripsit; et quod ille ex potestate, scio quia hoc vos ex amore dicitis .... Vos tamen eandem causam nullam esse dicere non debetis, quia si hanc aequanimiter portamus, universae Ecclesiae

Scripsit autem Anastasius hic Antiochenus episcopus praeter alia etiam „orationes quinque de rectis nostris veritatis dogmatibus“, quae exstant col. 1309 et sequentibus [1]).

2. Successit ei Anastasius alter a. 599, qui de more post ordinationem suam confestim professionem fidei suae ad Gregorium Romanum Pontificem misit, ut Gregorius ipse testatur ep. 49 lib. IX. [2]): „Fraternitatis tuae, inquit, scripta suscepi, professionem fidei recte servantia, magnasque omnipotenti Deo laudes retuli, qui et immutatis gregis sui pastoribus, fidem quam semel sanctis Patribus tradidit, etiam post eos immutabilem custodit“. Porro Anastasius, cum in professione sua fidei sanctam Ephesinam synodum primam se custodire dixisset, a Gregorio monetur, ut genuinum hujus synodi exemplar vel apud Alexandrinam atque Antiochenam Ecclesiam requirat, vel ab ipso accipiat, non illius, quae sub imagine primae Ephesinae quondam ab haereticis composita traderetur. Alter hic Anastasius Antiochenus episcopus martyrii palmam adeptus est a. 608. [3]) die 21. Decembris, ut habet Martyrol. Rom. [4]).

Cujus mortem Nicephorus Callisti Anastasio seniori attribuens sic refert [5]): „Antiochiae gravis tumultus fuit, quod Hebraei rursum adversus Christianos insurrexerint. In ea

---

fidem corrumpimus. Scitis enim quanti non solum haeretici, sed etiam haeresiarchae de CP. Ecclesio sunt Eggressi. Et ut honoris vestri injuria taceam, si unus episcopus vocatur universalis, universa Ecclesia corruit, si unus universus cadit“.

[1]) Vide infra cap. VI. 4.

[2]) Data indict. II., quae currebat a mense Septembri a. 598 usque ad eundem mensem a. 599.

[3]) I. e. septimo anno Phocae (regn. ab a. 602 — 610) col. 1303 B. ex Act. SS. tom. II. April; Damberger dicit ann. 610 pag. 321, et in annot. crit. ad hanc ipsam paginam.

[4]) Graecorum autem Menologium eodem die meminit Anastasii Sinaitae, sed nulla facta mentione Antiochiae aut Episcopatus. (Col. 1299 B. ex Act. SS. tom. II. Apr.)

[5]) Nicephorus, Hist. Eccl. lib. XVIII. cap. 44.

seditione autem Hebraei superiores fuere. Ingentem namque Christianorum multitudinem aut ferro conciderunt aut igni quem in aedes eorum conjecerant exusserunt. Ejus *Phocas* impii et flagitiosi facinoris poenas sumens, tormentis subdidit atque urbe exegit. Illi vero et civitatis illius antistitem Anastasium *Gregorii successorem*, e throno suo deturbatum, funeque pedibus alligato, per urbem tractum foeda morte affecerunt. Verendas namque ejus partes inter trahendum ense excisas in os ejus injecere. Postea vero illum perinde ac holocaustum quoddam igni tradidere".

Huic Anastasio juniori communiter [1]) attribuunt versionem Graecam libri de cura pastorali, quem Gregorius M. composuerat. Quam versionem Gregorius aegre tulit, ut patet ex ejus ep. 24. lib. XII. ad Joannem subdiaconum Ravennae his verbis: „Nam quia dilectissimae memoriae Anatolius Diaconus quaerenti ac jubenti domino Imperatori librum regulae pastoralis dedit, aegre suscepi: quem sanctissimus frater et coepiscopus meus Anastasius Antiochenus in Graecam linguam transtulit. Et sicut mihi scriptum est, ei valde placuit, sed mihi valde displicuit, ut qui meliora habent, in minimis occupentur".

Anastasium porro hunc juniorem a Necephoro male confundi cum Anastasio seniore, qui antecessit, jam supra deprehendimus, dum Anastasium seniorem, Gregorii successorem quem a. 599. mortuum esse ex Gregorii M. epist. 49. lib. IX. constat, vitam prorogasse vult usque ad Phocam Imperatorem jam regnantem (ab ann. 602—610), quamquam in fine ejusdem capitis 44. Anastasio restituto sex solum annos assignat. Nicephorum autem illam foedissimam martem Anastasio priori attribuere, etiam ex eo intelligitur, quod et ipse alterum Anastasium huic tam crudeliter interfecto succedentem

[1]) Oudin. tom. I. col. 1486; Cave, p. 357, Fabric. (in Patrol. Gr. t. 89. col. 9 et 10.); cf. tamen col. 1305 B. ex Act. SS. tom. II. Apr. p. 853.

facit [1]). Jam vero audiamus, quae amplius de hoc Anastasio seniore et quem vult a Judaeis occisum, nobis referat. Atque vocat eum „virum sāpientia et virtute clarum primariumque dogmatum ecclesiae doctorem, quippe qui lucubrationes multas eidem reliquerit. *Τούτου καὶ ἡ βίβλος, ἣ ὁδηγὸς ὄνομα ἔσχεν· οἵ τε ὅροι τῶν τῆς ἐκκλησίας δογμάτων καὶ ἄλλα πολλά. καὶ ὁ εἰς τὸν ἕκτον ψαλμὸν λόγος ταῖς εἰσβάσεσι τῶν νηστειῶν ἐκδοθείς. ἐμοὶ δ' ἐντυχεῖν ἐγένετο καὶ λόγῳ αὐτοῦ, ὃν πρὸς Ἀντιοχεῖς ἔγραψεν εἰσιτήριον καὶ εἰρηνικὸν ἕτερον, διὰ τριῶν καὶ εἴκοσι ἐτῶν αὖθις ἐπανήκων ἐπὶ τὸν θρόνον, Μαυρικίου τὴν ἡγεμονίαν ἰθύνοντος· ὃν δὲ καὶ ἐν τῷ λόγῳ ἐξαίρει. καὶ ὡς τῆς ὑπερορίου ἀνεκλήθη φυγῆς. τούτῳ δὲ τῷ Ἀναστασίῳ διὰ τὸ ἐν Σιναίῳ φιλοσοφῆσαι καὶ τοῦ φρονήματος τῆς σαρκὸς ἐκεῖσε κατακρατῆσαι καὶ Σιναΐτης ἐστὶν ἐπώνυμον. καὶ ὁ μὲν δήμου γενόμενος παρανάλωμα ἀπεβίῳ.*“ [2]). — Itaque Nicephorus eum putat Sinaitam fuisse. Ideo etiam successionem ejus post Domninum ex Evagrio describens interjicit haec verba: *Ἀναστασίου τοῦ ἐκ Σιναίου χειροτονηθέντος* [3]). Unde autem Nicephorus id exploratum habet, qui integris septem saeculis post hunc Anastasium vixit, cum Evagrius, ejusdem temporis scriptor aequalis et ipse quidem Antiochenus, nil tale retulerit neque etiam Gregorius M. in epistolis? Et quidem si solum diceret Anastasium hunc ex Sinai accersitum esse, poteramus ei acquiescere. Quum autem eundem male confundat cum Hodegi auctore, eum aperte mentientem deprehendimus. Nam alium fuisse Hodegi auctorem atque hunc Anastasium priorem ejusque successorem, postea videbimus. Itaque in hac quaestione ei nullam prorsus fidem adhibendam esse patet, qui quidem ex Evagrio quamplurima bene describit, ipso autem duce

---

[1]) Niceph. lib. XVIII, cap. 44. in fine: „μετὰ δὲ τοῦτον ἔτη ἓξ διαπρέψαντα τὴν τῆς Ἀντιόχου ποιμαντικὴν Ἀναστάσιος ἕτερος διεδέχετο“.

[2]) Niceph. lib. XVIII. eod. cap. 44.

[3]) Niceph. lib. XVII. cap. 29.

destitutus [1]) plane aberrat ac tres Anastasios simul in unum confundit. Non solum autem ipse Nicephorus forsitan ab aliquo seniore deceptus hic erravit, verum etiam alios recentiores quamplurimos secum in errorem abduxit, quos enumerare longum est. In quibus imprimis numerandi sunt ii, qui non solum seniorem Anastasium patriarcham Antiochenum, sed etiam juniorem Sinaitam vocant, eodem, ut opinor, Nicephori loco decepti. Longissime autem aberrat Oudinus, qui quotiescunque aliquem deprehendere sibi videtur Anastasium sive vere sive quem putet Antiochenum episcopum, eundem subito facit monachum Sinaitam et vice versa. Et rationem quidem affert. „Solebant enim, inquit, his temporibus Antiocheni episcopos sibi ferme ex monte Sinai accersere, ut de Anastasio seniore et de Gregorio, qui ei, dum exul erat, in sede successit et de isto, qui postea ad sedem hanc elevatus est, apertissime constat" [2]). Nimirum Oudinus ex probandis probat.

Itaque hos duos Anastasios, quos dixi, patriarchas Antiochenos et Gregorio M. tempore aequales, non fuisse Sinaitas vel saltem omnino gratis vocari concludendum est. Sed haec quidem de his duobus Anastasiis Antiochenis; nunc de Hodegi auctore disseram.

---

[1]) Evagrius enim Historiae suae finem facit ab anno Mauricii 12, i. e. Christi 594.

[2]) Oudin. tom. I. col. 1486. Gregorius quidem re vera ex monte Sinai ad Pontificatum Antiochenum promotus est (vid. supra pag. 7 nota 4). Sed unde Oudinus idem scit de duobus istis Anastasiis? Sane Evagrius nil tale refert, ut jam supra dixi.

CAPUT II.

DE HODEGI AUCTORE.

§ 1.

Quis fuerit Hodegi auctor, non est opus magna quaestione. Ipse enim suum nomen auctor expresse nobis tradit, capite decimo tertiam disputationem referens, quam Alexandriae habuit cum Severianis, Theodosianis aliisque haereticis Monophysitis. Quos duabus praeviis disputationibus, quibus cum iis publice, praesentibus urbis magistratibus et clero magnaque tam Catholicorum quam Haereticorum multitudine adstante congressus erat, quum egregie refutasset veritatemque catholicam non minus callide quam strenue defendisset, ut ipse nobis narrat eodem capite X.[1]), tertium jam cum iis certamen iniit, de quo sic loquitur[2]):

„Alius modus, quo cum Theodosianis congressi sumus, praesente praefecto Augustali in publica civitatis audientia“[3]).

„Satis et absque ulla dubitatione haereticis pudore ac rubore... suffusis, cum plane nullus alius praetextus suppeteret, ut os adversus catholicam ecclesiam aperirent, missis in Aegyptum nuntiis, advocarunt nonnullos episcopos, quos Scripturarum peritos arbitrabantur, quorum unus etiam Cynopolitanus erat, qui Augustalem accedentes rogabant, ut nobiscum de Christo disputandi copiam faceret; quo haud gravate annuente, mox in praetorium accersiti sumus. Qui vero missi fuerant, nuntiabant nobis adesse Theodosianos, quibus animus esset nobiscum de fide conferendi praesente Augustali. Cum ergo venissemus et consedissemus, sic

---

[1]) Col. 150 seqq. [2]) Col. 186 seqq.

[3]) „ἐπι δημοσίας ἀκοῆς καὶ τῆς πόλεως“. Col. 186.

loqui orsus est Augustalis: Cum audissent episcopi isti, quae Ecclesiam inter et Theodosianos disceptationes exstiterint, huc se receperunt, cupientes cum sanctitate vestra disputare. Haec Augustali locuto, ora resolverunt illi episcopi meque accusare coeperunt, tanquam turbatorem civitatis et populi et ecclesiae illorum. Ad quos ego miti et renidente voce: Venerandi Patres, vidistisne me aliquando? Aut mecum aliquando versati estis? Audivistisne unquam fidem meam aut sensum meum ex ore meo? Quibus abnuentibus intuli: Audite igitur, Patres, fidem meam, bonaque spe sum fore ut vobis placeat, neque ullam in me inveniatis culpam. Haec prolocutus, cum omnibus planam facere et in lucem extrahere vellem improbitatem, quae in pectore totaque eorum ecclesia latitabat, chartam accepi et calamum a notariis, qui Augustali assistebant, in qua ista scripsi: *Ego Anastasius monachus sancti montis Sinai*, profiteor idem Dei Verbum ex Patre ante omnia saecula genitum, crucifixum, sepultum, passumque esse et resurrexisse. Haec scripsi, neque carnis mentione facta, neque Verbi ad nos adventus et conversationis inter nos, neque incarnationis; sed solam Verbi divinitatem expressi. Deinde exurgens tradidi illis schedam, quam legerunt, laudarunt, approbarunt: quod cum animadverterem, ajebam: Si eadem vobis mens est, subscribite et e vestigio communionem vobiscum inibimus. Erat enim dies Dominicus [1]) et quasi hora tertia. Annuerunt et subscripserunt. Accepta charta post subscriptionem accessi ad illum, qui ex eorum numero caeteris sapientior et eruditior videbatur, sensimque manu barbam ejus contingens dixi: Memineris illius: „Christo passo in carne“ [2]), o Theopaschita, non in divinitate; „in carne passo“, ut tradit Petrus apostolus, non autem passo in divinitate, ut blasphemat Severus, cujus impietatem subscriptione vestra jam approbastis. Volens enim omnibus

---

[1]) κυριακὴ τῶν ἡμερῶν. [2]) I. Petr. 4, 1.

patefacere blasphemiam in animo vestro delitescentem, solam nudamque Verbi Dei divinitatem in charta notavi, nulla facta mentione carnis, aut incarnationis, aut ortus ex Sanctissima Virgine. Ubi haec audierunt, tanquam ex crapula ac ebrietate evigilantes et experrecti, nihil non tentarunt, ut hujusmodi chartam a me reciperent: ego vero coram omnibus clamabam me non restituturum, quousque illam Christo adversus vos in die judicii attulero".

Audimus ergo auctorem ipsum se nominantem Anastasium, et vere quidem Sinaitam, quum ipse se monachum sancti montis Sina profiteatur, simulque videmus eum rem catholicam adversus sui temporis haereticos fortiter propugnantem. Sed et, quo tempore vixerit, licet nobis inde concludere. Quum enim conventum factum fuisse memoret apud Augustalem [1]), i. e. praefectum ab Imperatore Romanorum Augusto missum, necesse est, disputatio facta sit ante a. 640, quippe quo Alexandriam ditionis Muhammedanorum factam esse constet, nullumque amplius locum fuisse Augustali cuiquam a Byzantii Imperatore praefecto.

Floruit itaque Anastasius noster jam ante a. 640. Jam vero qualis fuerit, per quod tempus vixerit quibusve in rebus versatus sit, ut accuratius exquiramus, quae amplius de se ipse nobis dicat in Hodego aliisque scriptis, audiamus oportet. Priusquam autem hanc de eo quaestionem instituamus, utrum omnes Hodegi partes, prout exstant in editis, ad unum eundemque auctorem spectare videantur necne, inquirendum est. Non desunt namque, quos inter Caveus [2]), qui hoc opus ex variis Veterum opusculis consarcinatum censeant, nec id modo, sed et a recentiore quadam manu haud leviter interpolatum. Videamus ergo necesse est,

---

[1]) De hac voce confer etiam col. 184 B. et col. 188 D., ubi memoratur alia disputatio facta ἐν τῷ σημειογραφείῳ τοῦ Καισαρίου.

[2]) Cave pag. 344 et seqq.

quid sibi velit opus ipsum. Qua in re si forsitan diutius aequo versati fuerimus, venia nobis dabitur; quin potius ii arguentur, qui, Anastasio nostro nimis injuriosi, opus istud Hodegi „nulla diligentia nulloque ordine“ conscriptum volunt nihilque aliud esse blaterant, quam „perturbatum diversorum inter se invicem distinctorum opusculorum collectaneum seu farraginem potius inconditam, uti ex lectione apparere“, quamvis merito dubitaveris, num opus integrum vel obiter legerint [1]). Praeterea in his nonnulla te inventurum esse puto, quae animum tuum allicere possint. Sed haec hactenus; nunc redeamus ad propositum.

§ 2.

Ac primum quidem, quid sibi velit opus ipsum, manifestum nobis fit jam ex ipso operis Hodegi nomine. Sic enim constanter inscribitur. Profitetur ergo se ipsum ducem quendam, scilicet in sequenda et tuenda catholica veritate contra varias haereticorum, praesertim Monophysitarum, sectas. Quod clarius apertiusque exprimitur in fine capitis X. Postquam enim retulit quattuor disputationes, quarum tertiam supra dedi, sic monet: „Haec arma, o, sanctae Ecclesiae et divinae veritatis propugnatores, tempore belli retinete. Et si quis de grege illo lupus ad vos accedat, afferatque frigidas illas de Christo fabulas, toto incarnationis mysterio in phantasiam inanemque existimationem converso, dicatque se subtili animi cogitatione et mentis apprehensione concipere Christum ex duabus naturis unam naturam incarnatam: nam post unionem non esse amplius duas naturas; carnem enim esse deificatam et veluti aceti guttam vasto pelago commistam, eam naturam induisse, quam habet id, a quo deificata est: nam Verbum esse carnem factum ut et

[1]) Respicio Oudin. tom. II. col. 544.

caro fieret Verbum: voluntatem unicam deitatis esse, sicut et substantiam unicam Verbi; neque duas esse Christi naturas, alteram capacem adorationis, alteram incapacem, et id genus alia probe quidem interdum a Patribus asserta, ab istis autem perperam intellecta; si quis, inquam, haec vel his similia protulerit, veniat tibi in mentem illud Salomonis: „Responde stulto secundum stultitiam suam" [1]), dicitoque: „Inconfusae manserunt etiam post unionem Christi hypostases: et si quis post unionem dividit hypostases, anathema esto", quemadmodum divinus Cyrillus ait. Nam „legalis illa arca typus quidam est duarum in Christo hypostaseon? Quid vero sunt hypostases? Clarum quod personae, ut idem sanctus Cyrillus et universus Patrum chorus docet. Sic, o fidelis, adversariis per adversa seu contraria occurre. Sic eos expugna. His absurditatibus execrandum Severum macta. His percute Theodosium et Gajanum et Julianum et totam illam decicornem turbam [2]), quae unam in isto naturam statuit" [3]). Item in fine cap. XIII., postquam auctor ostendit fusius ex sacratissima Domini nostri passione (cap. XII.) et sepultura validissima contra haereticos argumenta repetenda esse, sic fidelem hominem alloquitur: „Haec mihi imma mente, fidelis, reconde, ut tibi tempore belli adversus alienigenas usui esse queant, crucemque ac sepulcrum tanquam gladium ancipitem arripe. Et quando multiplices suas et intricatas nugacitates de divinitatis passibilitate protulerint, duc illos ad crucem propositam et ibi trucida. Quando autem nostram in Christo naturam negare et in inanem quandam umbram ac phantasiam convertere coeperint,

---

[1]) Prov. 26, 5.

[2]) τὸ δεκακέρατον vocat auctor: Eutychen, Dioscorum, Petrum Fullonem, Timotheum, Theodosium, Julianum, Gajanum, Barsanuphium, Jacobum, venerandum denique hujus orchestrae decem cornibus instructae exarchum Severum (col. 112 C. et 108 B.).

[3]) col. 191 BCD.

duc illos ac Dominicum sepulcrum, ibique neci deditos ad orcum demitte" [1]). Et in cap. XII., postquam lectorem monuit, „si quis mala mente arcana mysteria solaque fide intellecta in medium produxerit, ne respondeat ei ad hanc illius curiosam infidelitatem, ne et ipse incipiat cum illo scrutari ea, quae omnem scrutationem et investigationem exsuperent, omniumque creaturarum cognitionem fugiant; sed respondeat illi „secundum suam stultitiam", proferens, quae communiter ab omnibus Christianis concedantur, et fide simplici in Ecclesia teneantur, et praedicentur" [2]): ejusmodi quaestionibus ex V. et N. T. compluribus subjunctis, haec addit: „In promptu habeant prudentes haec arma contra imprudentes, quoties viderint eos maligne et fraudulenter nobiscum disceptare, et hunc librum maligne carpere" [3]).

Itaque ipsum opus se praebet quasi ducem quendam catholicae veritatis propugnatoribus in instituendis cum heterodoxis disputationibus et quasi armarium promptum, ex quo sumant orthodoxi, quibus Monophysitarum dolos machinasque convincerent. Quum autem non uniuscujusque esse possit, certamen cum haereticis prospere subire, immo nonnulla requirantur, quibus optime instructum esse oporteat, quisquis rem feliciter gerere velit, sane non inepte auctor ponit in ipso operis initio cap. I. „*progymnasiam brevem, instruentem quemlibet studiosum, in quibus sese ante omnia exercere et quorum notitiam parare debeat*" [4]). Quae progymnasia quum nonnihil contineat, quod lectoris mentem delectare possit, simulque fini meo aliquid conferre videatur: eam integram juvat hic apponere. Requirit autem haec:

1. „Ut studiosus ante omnia vitam honestam gravemque ducat, et Spiritum Sanctum incolam in se habeat.

---

[1]) col. 243 B.
[2]) col. 283
[3]) col. 287 D.
[4]) col. 39 A.

caro fieret Verbum: voluntatem unicam deitatis esse, sicut et substantiam unicam Verbi; neque duas esse Christi naturas, alteram capacem adorationis, alteram incapacem, et id genus alia probe quidem interdum a Patribus asserta, ab istis autem perperam intellecta; si quis, inquam, haec vel his similia protulerit, veniat tibi in mentem illud Salomonis: „Responde stulto secundum stultitiam suam“ [1]), dicitoque: „Inconfusae manserunt etiam post unionem Christi hypostases: et si quis post unionem dividit hypostases, anathema esto“, quemadmodum divinus Cyrillus ait. Nam „legalis illa arca typus quidam est duarum in Christo hypostaseon? Quid vero sunt hypostases? Clarum quod personae, ut idem sanctus Cyrillus et universus Patrum chorus docet. Sic, o fidelis, adversariis per adversa seu contraria occurre. Sic eos expugna. His absurditatibus execrandum Severum macta. His percute Theodosium et Gajanum et Julianum et totam illam decicornem turbam [2]), quae unam in isto naturam statuit“ [3]). Item in fine cap. XIII., postquam auctor ostendit fusius ex sacratissima Domini nostri passione (cap. XII.) et sepultura validissima contra haereticos argumenta repetenda esse, sic fidelem hominem alloquitur: „Haec mihi imma mente, fidelis, reconde, ut tibi tempore belli adversus alienigenas usui esse queant, crucemque ac sepulcrum tanquam gladium ancipitem arripe. Et quando multiplices suas et intricatas nugacitates de divinitatis passibilitate protulerint, duc illos ad crucem propositam et ibi trucida. Quando autem nostram in Christo naturam negare et in inanem quandam umbram ac phantasiam convertere coeperint,

---

[1]) Pror. 26, 5.

[2]) τὸ δεκακέρατον vocat auctor: Eutychen, Dioscorum, Petrum Fullonem, Timotheum, Theodosium, Julianum, Gajanum, Barsanuphium, Jacobum, venerandum denique hujus orchestrae decem cornibus instructae exarchum Severum (col. 112 C. et 108 B.).

[3]) col. 191 BCD.

duc illos ac Dominicum sepulcrum, ibique neci deditos ad orcum demitte" [1]). Et in cap. XII., postquam lectorem monuit, „si quis mala mente arcana mysteria solaque fide intellecta in medium produxerit, ne respondeat ei ad hanc illius curiosam infidelitatem, ne et ipse incipiat cum illo scrutari ea, quae omnem scrutationem et investigationem exsuperent, omniumque creaturarum cognitionem fugiant; sed respondeat illi „secundum suam stultitiam", proferens, quae communiter ab omnibus Christianis concedantur, et fide simplici in Ecclesia teneantur, et praedicentur" [2]): ejusmodi quaestionibus ex V. et N. T. compluribus subjunctis, haec addit: „In promptu habeant prudentes haec arma contra imprudentes, quoties viderint eos maligne et fraudulenter nobiscum disceptare, et hunc librum maligne carpere" [3]).

Itaque ipsum opus se praebet quasi ducem quendam catholicae veritatis propugnatoribus in instituendis cum heterodoxis disputationibus et quasi armarium promptum, ex quo sumant orthodoxi, quibus Monophysitarum dolos machinasque convincerent. Quum autem non uniuscujusque esse possit, certamen cum haereticis prospere subire, immo nonnulla requirantur, quibus optime instructum esse oporteat, quisquis rem feliciter gerere velit, sane non inepte auctor ponit in ipso operis initio cap. I. „*progymnasiam brevem, instruentem quemlibet studiosum, in quibus sese ante omnia exercere et quorum notitiam parare debeat*" [4]). Quae progymnasia quum nonnihil contineat, quod lectoris mentem delectare possit, simulque fini meo aliquid conferre videatur: eam integram juvat hic apponere. Requirit autem haec:

1. „Ut studiosus ante omnia vitam honestam gravemque ducat, et Spiritum Sanctum incolam in se habeat.

---

[1]) col. 243 B.
[2]) col. 283
[3]) col. 287 D.
[4]) col. 39 A.

2. Ut definitiones, praecipue magis necessarias, sciat atque memoria retineat.
3. Ut sensa et opiniones adversariorum ad amussim sciat, eorumque scripta revolvat; crebro enim ex ipsis pudefieri et in ruborem dari poterunt.
4. Ut cum profanis et fatuis promiscue et in discriminatim de capitibus fidei in certamen non descendat, sed habito delectu, cum quibus et quando et quantum oportet.
5. Ut omnem divinam Scripturam [1]) cum timore Dei lustret, non maligna mente, sed in simplicitate cordis; neque ea quae captum nostrum superant, quaeque divinae Litterae suppresserunt, scrutari et contrectare velit. Hoc nimirum est, „os non confringere" [2]): hoc est, non tangere firma et solida. Ut quae definite dicta sunt (*τὰ ὁριστικῶς λεγόμενα*), ab aliis internoscat; et rursus, quae abusive quaeque simpliciter (*τὰ καταχρηστικῶς καὶ ἀκάκως λεγόμενα*); cujusmodi illud: „Omnis homo mendax" [3]); et: „Non est qui faciat bonum usque ad unum" [4]).
6. Noverit, Ecclesiam traditiones nonnullas etiam extra Scripturam accepisse; quod genus: sacram communionem a jejunis accipi debere; orare ad orientem; Deiparam post partum quoque mansisse virginem; eandemque in spelunca peperisse; et alia multa.
7. Sciat disputationis modos duos esse, alterum per Scripturae testimonia, alterum per probationes ex ipsis rebus petitas; qui modus firmior est et verior. Nam verba Scripturae depravari possunt. Quocirca videri licet, simul atque adversario Scripturae testi-

---

[1]) Asserit autem cap. 22 col. 289 A., suo tempore „Evangelium jam septuaginta duarum gentium linguarumve litteris consignatum fuisse".

[2]) Exod. 12, 46. [3]) Ps. 115, 11. [4]) Ps. 13, 1.

monium objiciatur, ab ipso vicissim e vestigio aliud testimonium produci; sive sit haereticus sive Judaeus. Quapropter is, cui vires hoc concedant, magis se armet contra adversarios demonstrationibus ex ipsa rerum natura desumptis.

8. Exploratus habeat chronographos; et quo tempore vixerit hic aut ille Pater, et quando haec aut illa haeresis extiterit.
9. Neque illud ignorandum; adversarium, quando per interrogationem ad angustias redactus est, conari, alia interrogatione proposita, alio sermonem transferre. Quod non est tolerandum.
10. Ante disputationem ab adversario juramentum petendum est, quo polliceatur nullo verbo contra conscientiam sese acturum.
11. Ante omnem disputationem detestandae sunt omnes omnino pravae snspiciones et opiniones, quas adversarius de nobis concepit, ut si cum Arabibus disputandum sit, anathemati subjiciamus eum qui dicit duos deos vel qui docet Deum genuisse filium more modoque carni consueto (σαρκικῶς), vel qui adorat, ut Deum, qualemcunque creaturam in coelo aut in terra. Pari modo caeterae haereses omnesque falsae opinationes, quibus de nobis imbuti sunt, prius anathemate percelli debent. Nam cum haec audiunt, alacrius reliquis aures praebent.
12. Omni Monophysitae praefari oportet, nos non ex Chalcedonensi synodo, sed ex Patribus, qui synodum antecesserunt, contra illos arma sumere, quos et nos et illi orthodoxos fuisse confitemur.
13. Monophysitam praemunire debemus et sincere anathema denuntiare omnibus, qui non confitentur Christum esse verum Deum. Hoc facto induenda est persona Judaei vel Pauli Samosateni, quaerendumque ex illo, unde liqueat Christum esse Deum altissimum;

quemadmodum fecit Ammonius contra Halicarnasseum, quam antithesin invenies in quarta parte [1]).

14. Observandum est, Monophysitas ipsa calicis sui oblatione redargui. Purum enim merumque vinum offerunt, absque admixtione aquae. Quo indicant, Christum ab omni concretione corporis et animae liberum ex sola nudaque divinitate constare" [2]).

Haec ergo sunt, quae ut ante omnia bene sciat, quisquis cum haereticis congredi velit, hac progymnasia requiruntur. Jam vero cum se ipse auctor profiteatur catholicae veritatis propugnatores instructurum, ex hoc ipso conjicere licet, eandem eum viam ac rationem in hoc suo opere instituturum esse, quam sua progymnasia (cap. I.) designavit. Itaque nunc perlustremus capita sequentia.

Atque occurrit nobis caput II., quod inscribitur: „Cum Deo. *Variae definitiones secundum traditionem et fidem sanctae catholicae ecclesiae, ex Clemente et sanctis Patribus collectae*, quas ante omnes alias disciplinas discere oportet illum, qui divina adjutus gratia verbo pietatis praeesse cogitat". Meminimus, harum definitionum notitiam auctorem requisivisse in progymnasia sub num. 2 [3]). Veniamus ad caput III. Hic initio positos videmus in editis duos articulos, sed perperam, nam ante titulum capitis III. ponendos esse apparet. Horum enim unus pertinet ad scholium praecedens: „Refutatio problematis illius apud Monophysitas valde decantati, nullam esse naturam sine hypostasi". Alter vero articulus non est nisi quaedam praemonitio ad eos qui hunc librum essent lecturi. Ergo caput III. incipiendum est a parte operis sequenti, quae titulum habet: *Anastasii minimi*

---

[1]) Sic latinus interpres transtulit τό: „ἐν τῷ τετραδίῳ". Τετράδιον autem videtur esse „opus quatripartitum". Ergo minus recte translatum puto: „in quarta parte". Revocatur autem lector ad cap. 14: „'Αμμωνίου 'Αλεξανδρέως κατὰ Μονοφυσιτῶν".

[2]) col. 39 et 42. [3]) vid. supra pag. 22.

monachi opus de orthodoxa fide, ex sacris Litteris ac doctoribus decerptum". Quae autem hunc titulum subsequuntur, haec sunt [1]):

„ Principium verborum tuorum, Christe, veritas, quin potius, tute ipse, Deus Verbum, vera veritas, ut qui vere sis e verissima paterna veritate genitura atque veritas, et qui veritatis tuae amantibus missurum te veridicum Spiritum promittis in haec verba: „Paraclitus autem, quem mittam vobis in nomine Patris mei, Spiritus veritatis, ille vos deducet in omnem veritatem, ut non vos sitis qui loquamini, sed Spiritus veritatis qui loquitur in vobis veritatem" [2]). Nam et qui splendidos atque pretiosos uniones ex inaspectabilibus profundis hominibus venari ac proferre volunt, vestitu omni se despoliantes, et oleo os implentes, auraeque quod satis sit naribus ex aëre trahentes, ita se in terribile illud ac tenebricosum profundum demittunt. Quod, ut arbitror, exemplum ostendit, qui spiritualium aquarum atque dogmatum profunda vestigare ex iisque divinos atque puros uniones venari velit, oportere eum ab omni concitato quasi quodum tegumento nudum esse, sanctumque Spiritum animi tanquam naribus trahere et continere, secundum dicentem sanctum: „Spiritus divinus, qui mihi inest in naribus, et Omnipotentis aura, quae me erudit" [3]), et: „Os meum aperui et attraxi spiritum, quod est oleum laetitiae" [4]). Ut in iis comprobetur divini oraculi effatum: „Bonus ex bono animi thesauro bona profert, ut sane vitiosus e vitioso animi thesauro vitiosa profert" [5]); neque enim tantum periculi est profunda aquarum tentantibus, quantum vitio obstrictis et sacrarum Litteram profunda rimari aggredientibus: solus namque Spiritus Sanctus, ut qui Deus, rimari potest profunda Dei [6]). Quare et sapiens quidam ait: Inprimis purganda

---

[1]) col. 90. [2]) Joh. 16, 13. Matth. 10, 20. [3]) Job. 27, 2. 3.
[4]) Ps. 118, 131; 44, 8. [5]) Matth. 12, 35. [6]) I. Cor. 2, 10.

mens est ac tum puro consuescendum. Nam si Christum habens in se loquentem, et qui in tertium coelum evasisset vocesque in paradiso insolita hausisset [1]), cujusque haec sint verba: „Vivo jam non ego, vivit vero in me Christus“ [2]), Corinthiis scribens ait: „Partim loquimur et partim cognoscimus“ [3]), ecquis est qui dicere possit: Integre loquor et integre cognosco, maximeque quae ad incomprehensum Deum spectant? Quae rursum theologus quidam per Spiritum Sanctum eloquens, inquit: „Cum de Deo loquor, et lingua et auditu et mente inhorreso“. Nam sine periculo non est de Deo loqui. Sed haec quidam minime cogitantes neque discernentes, qui quemadmodum quae intra eorum ventres sunt obeantur, nesciant, in foedisque vitiis et voluptatum sordibus quotidie [4]) volvantur, ac ne sciant quidem, insitne in hominibus Spiritus sanctus, sed interriti omnia carnis atque libidinis desideria exerceant: in cauponis, prostibulis, foro, balneis Christi arcana traducunt et irrident, infideliumque contumeliis propinant plerumque duo pene verbula aut tres sententiolas e Patribus furati, memoriaque complexi, atque e vestigio se doctores, non divinitus creatos, sed qui affectibus ferantur, animo inani gloria atque voluptatibus fracto ob turpem quaestum judaice saepe venditant porcis et indignis divinos verbi uniones. Siquidem cognoscere licet ex aequalibus ecclesiasticae historiae scriptoribus, pleraeque haereses e vana regnandi libidine, avaritia, hominibus placendi studio, superbia fluxerunt. Qui tamen haeretici non ita obcoecati fuissent, si disciplinam et exercitationem secuti et affectibus defuncti, Spiritum sanctum sibi domesticum fecissent. Nam si orare quae par est nescimus, nisi divinum

---

[1]) II. Cor. 12, 2. [2]) Gal. 2, 20. [3]) I. Cor. 13, 9.

[4]) Textus quidem habet „κατ' ἐμὲ“, lat. interpr. „mei instar“. Sed repugnat. Cf. quae de eodem argumento habeat cap. XIV. col. 251 & 255. Conjectavi ergo: καθ' ἡμέραν.

Spiritum teneamus, quanto magis Dei arcana scrutari? Sed omnino dicent mihi vani theologi: Nihil domi natum loquimur, sed cum ex sacra Scriptura tum ex sanctis catholicae Ecclesiae Patribus petita. Quibus dicam ego quoque: Omnes haeretici id ipsum praedicant; unde ex sacris Litteris ac doctoribus nobis contradicere videntur. Quare meo judicio nec Scripturam nec Patrum sententias sine errore et offensa intelliget, qui non locutum in iis Spiritum sanctum ducem ac inhabitantem habuerit. Quod enim ait Christus, quoniam Spiritus veritatis ducet[1]) vos in omnem veritatem, procul dubio et Scripturam et Patres denotabat".

Haec igitur capite III., quae num non pertineant ad ea, qua in progymnasia habentur sub num. 1. et 4.[2]), benevolus lector ipse judicet velim. Sequitur cap. IV., cujus titulus est: „*Anastasii, minimi presbyteri sancti montis Sina opus de fide oeconomiae Christi Dei Filii* ad sanctam catholicam Ecclesiam Babylonis[3]), petentibus in ea fratribus nostris Christi studiosis et orthodoxis" [4]). Est autem hoc caput nihil aliud, quam ut ipse auctor in indice totius libri dicit, „*ἐξήγησις κατ' ἐπιτομὴν περὶ τῶν αἱρέσεων τῆς ἀρχῆς ἕως Νεστορίου καὶ Σευήρου*" [5]). Subjungitur caput V. *περὶ τῶν ἁγίων συνόδων*, ut quibus variorum temporum haereses condemnatae sint. Quo capite cum nonnisi quinque concilia oecumenica referantur, scite admodum in Edit. Mign. initio hujus capitis, ubi „studiosus monetur ut teneat *τὸ περὶ τῶν ἁγίων καὶ οἰκουμενικῶν ἕξ συνόδων*", uncis inclusum est: *γρ. ε'* (i. e. quinque). Facile enim posteriorum aliquem scripsisse

---

[1]) Joh. 17, 7. [2]) vid. supra pag. 22.

[3]) Puto Babylonem Aegypti, quae Ortelio teste Ptolomaeo est urbs maxima et vetutissima. Ab omnibus Europaeis hodie Cairo et Alcairo appellatur. Babylonia et Cairus duo esse oppida, sed in unum conjuncta, scribit Brocardus. (Vid. Abrahami Ortelii Thesaurum Geogr. Antuerp. 1596.)

[4]) col. 94. [5]) col. 37.

ἕξ pro ε' apparet. nisi dixeris, aut caput esse in fine mutilum [1]), aut auctorem scripsisse hunc tractatum concilio quidem sexto jam peracto, sed sibi nondum plane cognito, aut scripsisse quidem jam ante concilium sextum generale, sed postea eum suo Hodego inseruisse immutatum excepto solo, quod studiosum lectorem moneret peractorum jam sex conciliorum generalium. Utcunque est, sive ἕξ legendum, sive ε', certe haec duo capita, IV. et V. pertinent ad ea, quae in progymnasia requiruntur sub num. 8. [2]). Jam vero cum his quinque praecedentibus capitibus magis ea egerit, quae ad omnes indiscriminatim haereticos spectare videantur, sequentibus capitibus a sexto usque ad vigesimum quartum idque ultimum Severianos ipsos aggreditur caeterosque id temporis haereticos. De quibus sic refert cap. XXIII. [3]):

„Gajanitae, Julianistae et Nagranitae unam eandemque fidem habent, ut et Severiani et Jacobitae et Theodosiani et Dioscoritae. Sed isti, Severiani, inquam, et Jacobitae, licet maxime unam in Christo naturam constituant, nihilominus duas in ipso proprietates confitentur, divinam scilicet et humanam. Docent insuper corpus Christi fuisse passibile ante passionem. At Gajanitae sentiunt, corpus Christi corruptionis expers et divinum esse ab ipso unionis initio, unamque dumtaxat proprietatem, nimirum divinam et impassibilem in eo reperiri“.

Causam autem cur Severus et Gajanus discesserint, hanc narrat scholio praecedenti [4]): „Severus et Gajanus initio concordes simul in decimo octavo [5]) vico Alexandriae degebant. Quodam igitur die interrogavit Severum Gajanus, „utrum corpus Christi vocandum sit corruptibile an incorruptibile“. Respondente Severo: „fuisse corruptibile ante resurrectionem a mortuis“, Gajanus statim ab ipso secessit,

---

[1]) Oudin. tom. II. col. 564. [2]) vid. supra pag. 23. [3]) col. 295.
[4]) cap. 22. col. 295. [5]) ἐν τῷ ὀκτωκαιδεκάτῳ.

haec dicens: „si Corpus Christi corruptibile dicis, necessario duas in Christo naturas confiteri debes. Et haec fuit causa cur sejuncti sint“.

Hos itaque haereticos aggressurus, apte quidem VI. capite ex eo incipit, „unde monocula Severi fides pullulaverit“ [1]). Atque Severum quidem narrat, ob prava quae contra concilium Chalcedonense protulisset dogmata, Antiochia pulsum profectum esse Alexandriam, in „illud serpentium, i. e. catholicae Ecclesiae hostium, lustrum“ [2]), ibique „librum edidisse, quem vocarent *φιλαλήθη*, cum potius *φιλομυθὴς* esset nominandus, in quo tanquam vivorum et mortuorum judex cum testimoniorum tum ipsorum Patrum composuisset tabulam, pro lubito alios quidem approbans, rejiciens alios. Quem librum Ecclesiae hostes, Jacobi, Severi, Theodosii, Timothei Dioscorique discipulos per Syriam et Aegyptum prae divino secundum Joannem evangelio retinere“ [3]). Quae se scribere testatur non ex aliorum relatione, sed ex propria experientia non modica, in Syria, Aegypto, Alexandriae aliisque locis“ [4]). Censet autem Monophysitas „ex Aristotele et aliis Graecanicis disciplinis, quas saepe carpit, hoc hausisse, ut dicerent, naturam esse personam et personam naturam“ [5]). „Aristotelem enim dicere personas esse *μερικὰς οὐσίας*“ [6]).

Haec igitur quum capite VI. disseruerit, capite VII. fusius demonstrat, SS. Patrum testimonia ab impio Severo rejecta esse, quippe qui legem tulerit: „multas loquendi formulas veterum Patrum, olim absque ulla reprehensione usurpatas, post Nestorium non censeri amplius tutas ac

---

[1]) col. 102. [2]) col. 103. [3]) col. 105. [4]) ibid.

[5]) col. 107 cf. col. 55, 139, 148.

[6]) ibid. col. 107. Sic etiam Léontius Byzantius de sectis act. V. in fine refert, Joannem Philoponum tres dixisse naturas in SS. Trinitate, „λαβόντα τὴν ἀφορμὴν ἀπὸ τῶν ἀριστοτελικῶν. ‘Ο γὰρ ’Αριστοτέλης φησὶν, ὅτι εἰσὶ τῶν ἀτόμων καὶ μερικαὶ οὐσίαι καὶ μία κοινή“. (Migne Patr. gr. t. 86. col. 1234.)

ἓξ pro ε' apparet, nisi dixeris, aut caput esse in fine mutilum [1]), aut auctorem scripsisse hunc tractatum concilio quidem sexto jam peracto, sed sibi nondum plane cognito, aut scripsisse quidem jam ante concilium sextum generale, sed postea eum suo Hodego inseruisse immutatum excepto solo, quod studiosum lectorem moneret peractorum jam sex conciliorum generalium. Utcunque est, sive ἓξ legendum, sive ε', certe haec duo capita, IV. et V. pertinent ad ea, quae in progymnasia requiruntur sub num. 8. [2]). Jam vero cum his quinque praecedentibus capitibus magis ea egerit, quae ad omnes indiscriminatim haereticos spectare videantur, sequentibus capitibus a sexto usque ad vigesimum quartum idque ultimum Severianos ipsos aggreditur caeterosque id temporis haereticos. De quibus sic refert cap. XXIII. [3]):

„Gajanitae, Julianistae et Nagranitae unam eandemque fidem habent, ut et Severiani et Jacobitae et Theodosiani et Dioscoritae. Sed isti, Severiani, inquam, et Jacobitae, licet maxime unam in Christo naturam constituant, nihilominus duas in ipso proprietates confitentur, divinam scilicet et humanam. Docent insuper corpus Christi fuisse passibile ante passionem. At Gajanitae sentiunt, corpus Christi corruptionis expers et divinum esse ab ipso unionis initio, unamque dumtaxat proprietatem, nimirum divinam et impassibilem in eo reperiri".

Causam autem cur Severus et Gajanus discesserint, hanc narrat scholio praecedenti [4]): „Severus et Gajanus initio concordes simul in decimo octavo [5]) vico Alexandriae degebant. Quodam igitur die interrogavit Severum Gajanus, „utrum corpus Christi vocandum sit corruptibile an incorruptibile". Respondente Severo: „fuisse corruptibile ante resurrectionem a mortuis", Gajanus statim ab ipso secessit,

---

[1]) Oudin. tom. II. col. 564. [2]) vid. supra pag. 23. [3]) col. 295.
[4]) cap. 22. col. 295. [5]) ἐν τῷ ὀκτωκαιδεκάτῳ.

haec dicens: „si Corpus Christi corruptibile dicis, necessario duas in Christo naturas confiteri debes. Et haec fuit causa cur sejuncti sint".

Hos itaque haereticos aggressurus, apte quidem VI. capite ex eo incipit, „unde monocula Severi fides pullulaverit" [1]). Atque Severum quidem narrat, ob prava quae contra concilium Chalcedonense protulisset dogmata, Antiochia pulsum profectum esse Alexandriam, in „illud serpentium, i. e. catholicae Ecclesiae hostium, lustrum" [2]), ibique „librum edidisse, quem vocarent *φιλαλήθη*, cum potius *φιλομυθὴς* esset nominandus, in quo tanquam vivorum et mortuorum judex cum testimoniorum tum ipsorum Patrum composuisset tabulam, pro lubito alios quidem approbans, rejiciens alios. Quem librum Ecclesiae hostes, Jacobi, Severi, Theodosii, Timothei Dioscorique discipulos per Syriam et Aegyptum prae divino secundum Joannem evangelio retinere" [3]). Quae se scribere testatur non ex aliorum relatione, sed ex propria experientia non modica, in Syria, Aegypto, Alexandriae aliisque locis" [4]). Censet autem Monophysitas „ex Aristotele et aliis Graecanicis disciplinis, quas saepe carpit, hoc hausisse, ut dicerent, naturam esse personam et personam naturam" [5]): „Aristotelem enim dicere personas esse *μερικὰς οὐσίας*" [6]).

Haec igitur quum capite VI. disseruerit, capite VII. fusius demonstrat, SS. Patrum testimonia ab impio Severo rejecta esse, quippe qui legem tulerit: „multas loquendi formulas veterum Patrum, olim absque ulla reprehensione usurpatas, post Nestorium non censeri amplius tutas ac

---

[1]) col. 102. [2]) col. 103. [3]) col. 105. [4]) ibid.

[5]) col. 107 cf. col. 55, 139, 148.

[6]) ibid. col. 107. Sic etiam Léontius Byzantius de sectis act. V. in fine refert, Joannem Philoponum tres dixisse naturas in SS. Trinitate, „λαβόντα τὴν ἀφορμὴν ἀπὸ τῶν ἀριστοτελικῶν. Ὁ γὰρ Ἀριστοτέλης φησίν, ὅτι εἰσὶ τῶν ἀτόμων καὶ μερικαὶ οὐσίαι καὶ μία κοινή". (Migne Patr. gr. t. 86. col. 1234.)

securas" [1]). „Ad enatas enim haereses pharmaca et medicamenta doctrinae accomodanda esse: neque enim, inquit, si quis medicus aquae potum prohibuerit, pestifero ingruente morbo, quisquam dicere poterit: antegressos medicos aquae potum non vetuisse. E vestigio enim a medico audiet: Fatue; morbum longe lateque grassari vides, et ex norma valetutudinis prosperae metiri vis aegritudinem?" [2]) Ad quam Severi cavillationem Anastasius perscite [3]): „Sileat, inquit, inposterum apostolicus Dionysius. Quiescat haereticorum omnium securis Irenaeus. Nihil loquatur Clemens, palmes [4]) Christi. Facessat jam Augustinus, qui suo sanguine in scriptis duas in Christo naturas consignavit [5]). Nulli enim sapientissimus iste doctorum adversarius pepercit. Non reveritus est vultum Eustatii. Gregorium miraculorum effectorem floccifecit. Certamina Athanasii non pertimuit. Illam Basilii vivendi rationem, quae et daemonibus horrori est, in postremis duxit. Nullum honorem Gregoriis impertiit, quos ipsi Graeci a fide nostra alieni suspexerunt ac coluerunt. Epiphanium contempsit, qui spiritus malignos in stuporem rapuit et terrefecit. Neque Joanni reverentiam detulit, cujus vocem imperatores quoque cohorruerunt: non Amphilochium moratus est, non Ambrosium, non Ephraemum omni virtutum genere excultissimum, non Proclum; nec ipsi Cyrillo omnium Patrum signaculo pepercit, nec aliis, quorum nomina vel expressi vel subticui: sed omnes pariter repudiavit rejecitque, quando asseruit: „Usque ad Nestorium duas in Christo naturas a sanctis Patribus praedicatas esse; post Nestorium vero Christum in unam naturam conflatum fuisse". Quo fit, ut lunaticus Severus lunae vicissitudini et variationi

---

1) col. 109 D.

2) cap. 21. col. 279.

3) cap. 7. col. 114.

4) τὸ τοῦ χριστοῦ κλῆμα.

5) „ὁ τῷ οἰκείῳ αἵματι τοῦ μαρτυρίου ἐγγραφως γράψας Χριστοῦ τὰς φύσεις". Facit S. Augustinum martyrum. (Nota ad hunc locum col. 114.)

Christum subjiciat, jam luce destitutum, jam luce plenissimum sibi imaginans; modo duobus naturis, modo una constantem; mutatum et transformatum instar leporum (ut aliquid quasi blasphemiae loquar), sive praegnantium mulierum, quae nunc quidem duas animas habent, nunc rursus post partum una dumtaxat praeditae sunt". „Quid igitur de caetero faciam? quo me vertam? „Propter Nestorii enim morbum, inquit, repudiatae et rejectae sunt duae in Christo naturae". Rursus propter Eutychen, Dioscorum et Theodosium omnino rejicietur vox illa, quae unam in Christo divinitatis et humanitatis naturam esse affirmat; et sic inanis erit posthac praedicatio; vana etiam fides. Peribit religio et usque ad internecionem delebitur" [1]. Sed „agedum, inquit Anastasius, decicorne ejus sodalitium ex propheticis et evangelicis Scripturis conteramus; demonstrantes aliud esse naturam et aliud personam" [2]. Et id quidem agit capite VIII. [3]). Tum vero idem argumentum prosequitur capite IX. [4]) ex sacrosancta Nicaena synodo, quam vocat „primogenitam Sancti Spiritus" [5]), de qua ovans: „En, ait, basis fidei SS. Patrum; en radix, principium et fundamentum pietatis; en lumina et praecones veritatis, en columina immota et insuperabiles propugnatores; en viri illi spiritu divino pleni, prophetiae dono instructi, paresque angelis ... quibus cum omni fiducia fas fuerit exclamare: „Si angelus de coelo Ecclesiae aliud evangelizet praeter id, quod nos ei evangelizavimus et annuntiavimus; anathema sit et ipse et praedicatio ejus" [6]). His autem et similibus argumentis refutata impii Severi doctrina, capite X. [7]) quattuor disputationes cum haereticis Alexandriae habitas refert, quarum tertiam exempli causa supra allegavi.

---

1) cap. 7. col. 119. 2) cap. 7. col. 122. 3) col. 122—139.
4) col. 139—147. 5) col. 140 D. 6) col. 142.
7) col. 150—190.

Reliquis denique omnibus capitibus catholicam de duabus in Christo naturis doctrinam firmissimis argumentis tum ex sacra Scriptura, tum ex ipsis rebus petitis propugnat et haereticorum objectiones dissolvit, orationem magna ex parte, sicut et in praeviis capitibus, per modum dialogi contexens.

Objiciebant autem haeretici imprimis testimonia quaedam SS. Patrum, ex quibus illud divi Gregorii Nysseni: „Quemadmodum aceti gutta in mare projecta non retinet amplius aceti proprietates, sed transmutatur induitque proprietates aquae; sic et sanctissimum illud corpus cum divinitate commistum non habet amplius proprietates carnis" [1]). Et illud Dionysii Areopagitae: „Omnium mirabilium mirificissimum est, Christum in his, quae nobis sunt naturalia, supra naturam fuisse; et in his, quae sunt secundum substantiam, supra substantiam, ita ut in omnibus nostris et quae ex nostris acceperat, supra nos excelleret" [2]); et alibi: „Christum non secundum hominem actiones humanas et naturales exercuisse; sed supra hominem omnia humana egisse" [3]). Ad quae Anastasius noster: „Noverit, inquit, homo imperitus et rudis sectarius, sanctos Patres non eodem sensu, quo ipse solet, hujusmodi loquendi formulas usurpasse, sed longe diverso" [4]). „Sancti enim Patres pie et orthodoxe Christi corpus illis proprietatibus carere tradunt, quae ex peccato extiterunt, non illis, quas initio creationis ante peccatum habuit Adamus a Deo conditus. Sic nimirum SS. Patrum dicta accipi debent. Quantum igitur fieri poterat et corporis natura ferebat, mutatum est ex hypostatica cum divinitate unione, ut unitatem personae disceremus in quorundam vero communionem non est admissum, ut diversitatem naturae inde cognosceremus. Quapropter licet in-

---

[1]) cap. XIII. col. 210 C.
[2]) cap. XIII. col. 214 D.
[3]) col. 215 A.
[4]) col. 211 B.

circumscripto Verbo Deo sit unita caro, non tamen incircumscripta evasit; neque aeterna, quantumvis cum aeterno jugata; neque inaspectabilis, etiamsi inaspectabilem quasi intus circumferat, neque figurae expers, quamquam in figurae experte subsistentiam acceperit.... Quodsi ad nuda Scripturae et doctorum verba attendas, absque ulla disquisitione et examine, in multas et perniciosas absurditates incidas oportet. Et hoc confestim ex allato sapientissimi Gregorii testimonio planum faciam. Ecce naturam nostram ait, ut guttam aceti, divinitatis pelago commistam esse. At clarum est omnem guttam in mare injectam evanescere, et desinere esse, neque amplius sub tactum cadere. Si igitur corpus Domini per unionem cum divinitatis quasi immenso mari inaspectabile effectum est, natura autem sua divinitatis pelagus, nec sub aspectum nec sub tactum cadit; omnis igitur Christi in terris conversatio et actio nihil aliud fuit, quam phantasia quaedam et inanis persuasio, ab ortu ex Virginis utero et deinceps usque ad ascensionem in coelos. Divinus ergo Gregorius mentionem fecit pelagi et aceti, non ut res ipsas confunderet, sed ut exemplo aliquo tenuitatem et parvitatem naturae nostrae cum infinito et incomprehenso illo divinitatis pelago comparatae demonstraret. Neque enim credibile est, eum confusionem et abolitionem naturarum in Christo introducere voluisse, qui haec adversus Eunomium scribit. „Quaenam Christi natura in passione colaphis caeditur? Et quae ab aeterno glorificatur?" Planum porro est, quid sibi voluerit iste Pater, licet nulla accedat interpretatio; nempe injurias illas redundasse in servum in quo Dominus habitabat, gloriam vero et honorem in Dominum, quem servus circumdabat. Cum haec doctor asserat, carnemque servum aut formam servi appellarit, qua tandem ratione dicere potuit, carnem evanuisse et commistam fuisse instar guttae in vasto pelago? Itaque non ad confusionem, sed ad summam unionem declarandam ejus exemplum spectat" [1]).

[1]) col. 211 et 214.

Et ad illud Dionysii, „Christum non secundum hominem, sed supra hominem omnia humana egisse“: „Pater iste, ait, qui dixit, Christum omnia nostra supra nos habuisse, etiam asseruit in capite unionis et discretionis, Christum ex Virginis sanguine incarnatum esse, quod rudibus admodum crasse dictum videtur, quasi apud alios Patres prorsus inauditum“ [1]. „Ergo minime negare voluit Dionysius, corpus Christi ejusdem nobiscum esse substantiae, ut arbitrantur haeretici, quando dixit: „Omnia quae natura nobis insunt, esse in Christo supra naturam; et Christum secundum hominem humana non agere“; sed hoc ideo affirmavit, quia corpus illud non erat ex semine, sed ex divino Verbo et cum divino Verbo hypostatice, etiam in utero matris, humana nostra animae et corporis massa perfecta subsistebat; et de caetero cum Deo subsistens divinum quiddam per divinitatis participationem evasit. Quo fit ut humana non habuerit nude hominum instar, sed Dei simul et hominum more, theandrice quidem, et indivulse in una singulari Christi persona subsistentia, at nihilominus utriusque naturae propietatem inconfusam conservantia; quae manifesto indicio sunt, Christum in sua incarnatione nonnulla ex iis, quae natura nobis insunt nec detrectari aut repudiari queunt, egisse supra hominem; quaedam vero secundum hominem et ex naturae nostrae communi praescripto; quaedam vero etiam abjectius et contemptius peregit, ut haereticorum ora obturaret“ [2]. „Quid enim, oro, vilius aut abjectius, quam quod conditor coeli et terrae, „splendor gloriae Patris et figura substantiae ejus“ [3], Deus universorum, ejusdem substantiae et majestatis cum Patre, coaeternus Spiritui Sancto, increatus ille, immutabilis, lux immensa, Filius unigenitus, sponte sua ab iniquis cum iniquis ad ignominiosam mortem tanquam maleficus, secundum carnem

---

[1]) col. 215 A. [2]) col. 215 & 218. [3]) Hebr. 1, 3.

ducitur, noctu captus, vinctus, alapis caesus, exutus, consputus, colaphis percussus, flagellatus, cruci nudus affixus, tanquam damnationis reus, manibus, pedibus, latere perfossus, seipsum non vindicans, licet, utpote Deus, omnia posset; sed tanquam ovis mansuete mortem pro nobis subiit" [1]. „Si igitur Christus nihil humanum more hominum egit, quomodo secundum similitudinem hominum occissus est?" [2] „Oportebat enim, ut neque corpus ejus humano modo mortem oppeteret. Si vero secundum veritatem veram Christi mortem confitemini: notum vobis sit, o haeretici, Christum etiam post unionem non omnia nostra supra nos egisse" [3].

Potissimum vero Monophysitae illud divi Cyrilli, cujus linguam Anastasius vocat „gladium Spiritus in Ephesina synodo" [4], iterum iterumque opponebant [5], unam esse Verbi Dei naturam incarnatam". De qua Cyrilli voce Anastasius noster sic disserit [6]: „Cum ipse, ait, sanctissimus Cyrillus dictum hoc nobis explicet, et quam sententiam subjectam habeat, interpretetur, superfluum arbitror de sensu ejus ambigere; significat enim, id quod ipse Cyrillus in epistola ad Succensum indicavit, haec ejus vox nihil aliud, quam humanam nostram naturam. Quo intellecto, quando adversariorum quispiam unam Verbi divini naturam incarnatam nominat, dic ad illum: Et quis, qui stultus non fuerit, affirmare ausit duas Christi naturas incarnatas? Sic enim quattuor naturae in Christo forent; quod absit! Igitur quis sensus sit, quando unam naturam incarnatam scripsit, alibi idem sapientissimus Pater nobis exposuit, dicens unam Christi naturam incarnatam, pro eo ut diceret, unam sanctissimae Trinitatis personam incarnatam esse: „Verbum enim caro factum est", ut evangelista dicit [7]. Haec quum ita se habeant, cumque sanctus Pater unam naturam incarnatam affirmarit; ut quid hac voce

---

[1]) col. 239 CD. [2]) col. 242 B. [3]) col. 242 B. [4]) col. 158 C.
[5]) col. 190. [6]) ibid. [7]) Joh. 1, 14.

contenti non estis, sed novum sensum doctori affingitis, quasi dixerit, Christum esse unam naturam; naturam enim Christi esse solam divinitatem, tametsi incarnatam".

Sed refutati haeretici, cum jam SS. Patres sinistre interpretare non possint, illud divi Pauli objiciunt: „Quoniam in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter" (Col. 2, 9). „Si est, inquiunt, una sanctissimae Trinitatis natura, ipsa autem natura in hypostasi Filii perfecta et indeficiens subsistit, Filius vero incarnatus est; an non hinc aperte conficietur, totam divinitatis plenitudinem incarnatam esse, secundum illud Apostoli dictum" [1]). Quibus Anastasius noster: „Non est, ait, tota entitas Trinitatis in propria hypostasi Verbi, ut Sabellius omnia confundens existimat; nam Verbum non habet innascibilitatem Patris, neque generandi potentiam, neque principio caret, neque ad dexteram ejus considetur, neque aliquem fert in sinu, neque habet processsionem Spiritus [2]), neque alias hypostaticas Patris et Spiritus sancti proprietates. Non sicut Pater ingenitus est, ita et Filius; neque ut Pater principio caret, neque procedit, neque Patrem [3]) mittit, sicut a Patre missus est. Quapropter incarnata Filii hypostasis non simul incarnavit seu carne vestivit innascibilitatem Patris, neque procedentem hypostasin Spiritus Sancti; sed cum omnia naturalia et communia Trinitatis attributa, hoc est, aeternum, incircumscriptum, immutabile, perpetuum, bonum, vivificum et caetera talia, invariabiliter et aequaliter sint in Filio, sicut in Patre et Spiritu sancto, ideo dictum est, omnem divinitatis plenitudinem in ipso habitare: et secundum hoc dicitur Christus perfectus in divinitate. Quemadmodum igitur, quantumvis

---

[1]) cap. 17. col. 263.

[2]) i. e. passivam (τὸ τοῦ Πνεύματος ἐκπορευτόν); de activa vero non loquitur.

[3]) Lat. interpr. transtulit „Spiritum"; quo jure nescio.

humanitate perfectus esset, non assumpsit in incarnatione omnes hominum personales proprietates, neque enim habet innascibilitatem Adami; neque illud Evae, quod est ex costa formatum esse; neque magnitudinem gigantum, neque speciem Aethiopum. Haec enim sunt hypostaticae proprietates. Sed quia omnia, quae hominibus sunt communia et naturalia, assumpsit, hoc est, creatum, aspectabilé, corruptibile, mortale, et similia nulli reprehensioni in nobis obnoxia, sicut docet Paulus, idcirco ipsum in humanitate etiam perfectum confitemur. Omnis igitur plenitudo divinitatis et humanitatis in Christo inest, quod ad naturales proprietates attinet; neque enim si quis purpureo colore proprium unguem tingat, propterea carnem quoque et ossa digiti purpureo colore inficit, quamvis haec tria inseparabiliter sibi mutuo cohaerescant. Igitur neque Pater neque Spiritus sanctus secundum hypostasin simul cum Filio quasi carne tincti et corpore vestiti sunt" [1]).

Denique referre juvat, quid respondeat Anastasius noster ad illud Severianorum exemplum, ex constitutione hominis petitum in hunc modum: „Sicut unius in homine naturae altera pars est anima, altera corpus; sic et in Christo ejusque una natura, una pars et divinitas, altera corpus" [2]). Anastasius igitur: „Hoc, inquit, Severianorum nihil est aliud, quam ex duabus rebus imperfectis constitutum esse Christum, ex imperfecta nimirum divinitate et ex imperfecta humanitate; neque divinitate perfectum esse, sed semi-deum quendam et semi-hominem. Nos vero hanc tantam eorum absurditatem hunc in modum refellimus. Et primum quidem illud respondemus, exempla non esse quoad omnia rebus similia; nam in scriptura etiam vermiculus figuram Christi gerit, et leo et ovis et agnus et palma et pomum et lilium, quorum nihil secundum naturalem suam substantiam Christo

---

[1]) col. 263 et 265; cf. lib. VI. in Hex. col. 930 C.
[2]) cap, 18. col, 266 D.

simile censeri potest. Secundo respondemus: Si exemplum, quod nobis de Christo objicitis, aliud quiddam esset, et aliud quod in adventu ad nos suo Christus assumpsit, potuissetis fortasse aliquid hic affere, quod a ratione non prorsus alienum foret. At vero cum Christus ipsum exemplum, nempe humanam naturam, hoc est duas nostras partiales naturas, ut dicitis, sibi hypostatice univerit, fit, ut duas in Christo naturas statuatis, unam quidem perfectam divini Verbi, alias vero dimidiatas, animae nimirum nostrae et corporis. Aliis etiam modis difficile non fuerit deprehendere dissimilitudinem exempli ex hominis compositione adducti. Nam homo constat ex duabus rebus creatis, ex anima, inquam et corpore, at Christus ex increata divinitate et creata humanitate.... Et alia innumera id genus reperies in divinitate, quae neque animae neque corpori competant.... Itaque exemplum hominis de Christo accipi debet, ut exemplum, non ut aequalitatis argumentem" [1]).

Haec itaque Anastasius noster de exemplo ex constitutione hominis petito. Inter alia vero argumenta quibus auctor haereticos convincit, insigne est testimonium de vera et reali praesentia corporis Domini in sanctissimo Eucharistiae Sacramento [2]). Quod hic praetermitto, cum de eo proprie sit dicendum, quum quid Anastasius noster de Sacramento Eucharistiae senserit, disseram. Nunc vero postquam vidimus eum haereticos egregie confundentem, qualem ipse de sanctissimo Incarnationis mysterio fidem habuerit, quasi quodam compendio exponentem audiamus. Ait igitur [3]):

„Confiteor Christi integerrimam humanitatem animae et corporis ita secundum hypostasin immaculatae divinitati ejus unitam esse, sicut tota anima toti nostro corpori unita est. Et quemadmodum illo, qui ut figura Christi in specie

---

[1]) eod. cap. 18. col. 266 et 267. [2]) cap. 23.
[3]) cap. 21. col. 282.

Filii Dei apparuit Nabuchodonosori in fornace ignis, totus totius hominis formam prae se ferebat [1]), igneus et igni cognatus, immo totus igneus totusque flammeus, sic et Christi humanitas erat, tota per totum divinitate perfusa, divinaque et Deo cognata. Et quemadmodum si quis in fornacem illam ingressus, circumcidisset, aut alapis cecidisset, aut vinxisset, aut totondisset, aut transfixisset illum, qui in forma Filii Dei apparebat; ignem nequaquam ab illo separasset, aut extinxisset, eo quod totus per totum cum igne unitus fuerit; sic et a Christo Filio Dei, ex quo angelus ad Mariam dixit: „Ave gratia plena; Dominus tecum", ignis divinitatis ab humanitate nullo unquam tempore aut ulla in re separatus est, aut etiam unquam in omnem aeternitatem separabitur. Confiteor praeterea sanctissimum Christi corpus et animam gloria et splendore tantum antecedere nostras animas et corpora, quantum species illa in camino ignis splendore suo exsuperabat alia corpora, quae extra fornacem erant. Unde sacratissimum ejus corpus nominamus divinum, et omnia corporis divina; et immaculatam ejus animam Deo cognatam, et omnia quae animae competunt, divina; et simul cum Deo unita: utraque natura proprietates suas in una divina persona inconfuse, immutabiliter et indivisibiliter conservante: quemadmodum a sanctis Patribus religiose traditum est. Confiteor etiam, animam et corpus quae Verbo hypostatice unita sunt, Verbo subjici simulque cum omnibus proprietatibus suis a Verbo magis regi ac duci, quam ulla alia creatura eidem subjiciatur et ab eodem regatur; cum longe arctius cum Verbo conjuncta sint, quam ullae aliae res creatae".

Proposui tibi hactenus, amice lector, quasi speculum quoddam totius operis et totam pene ejus seriem atque contextum tibi evolvi. Certe omnia in unum eundemque

---

[1]) Dan. 3, 92.

simile censeri potest. Secundo respondemus: Si exemplum, quod nobis de Christo objicitis, aliud quiddam esset, et aliud quod in adventu ad nos suo Christus assumpsit, potuissetis fortasse aliquid hic affere, quod a ratione non prorsus alienum foret. At vero cum Christus ipsum exemplum, nempe humanam naturam, hoc est duas nostras partiales naturas, ut dicitis, sibi hypostatice univerit, fit, ut duas in Christo naturas statuatis, unam quidem perfectam divini Verbi, alias vero dimidiatas, animae nimirum nostrae et corporis. Aliis etiam modis difficile non fuerit deprehendere dissimilitudinem exempli ex hominis compositione adducti. Nam homo constat ex duabus rebus creatis, ex anima, inquam et corpore, at Christus ex increata divinitate et creata humanitate.... Et alia innumera id genus reperies in divinitate, quae neque animae neque corpori competant.... Itaque exemplum hominis de Christo accipi debet, ut exemplum, non ut aequalitatis argumentem" [1]).

Haec itaque Anastasius noster de exemplo ex constitutione hominis petito. Inter alia vero argumenta quibus auctor haereticos convincit, insigne est testimonium de vera et reali praesentia corporis Domini in sanctissimo Eucharistiae Sacramento [2]). Quod hic praetermitto, cum de eo proprie sit dicendum, quum quid Anastasius noster de Sacramento Eucharistiae senserit, disseram. Nunc vero postquam vidimus eum haereticos egregie confundentem, qualem ipse de sanctissimo Incarnationis mysterio fidem habuerit, quasi quodam compendio exponentem audiamus. Ait igitur [3]):

„Confiteor Christi integerrimam humanitatem animae et corporis ita secundum hypostasin immaculatae divinitati ejus unitam esse, sicut tota anima toti nostro corpori unita est. Et quemadmodum ille, qui ut figura Christi in specie

---

[1]) eod. cap. 18. col. 266 et 267. [2]) cap. 23.
[3]) cap. 21. col. 282.

Filii Dei apparuit Nabuchodonosori in fornace ignis, totus totius hominis formam prae se ferebat [1]), igneus et igni cognatus, immo totus igneus totusque flammeus, sic et Christi humanitas erat, tota per totum divinitate perfusa, divinaque et Deo cognata. Et quemadmodum si quis in fornacem illam ingressus, circumcidisset, aut alapis cecidisset, aut vinxisset, aut totondisset, aut transfixisset illum, qui in forma Filii Dei apparebat; ignem nequaquam ab illo separasset, aut extinxisset, eo quod totus per totum cum igne unitus fuerit; sic et a Christo Filio Dei, ex quo angelus ad Mariam dixit: „Ave gratia plena; Dominus tecum", ignis divinitatis ab humanitate nullo unquam tempore aut ulla in re separatus est, aut etiam unquam in omnem aeternitatem separabitur. Confiteor praeterea sanctissimum Christi corpus et animam gloria et splendore tantum antecedere nostras animas et corpora, quantum species illa in camino ignis, splendore suo exsuperabat alia corpora, quae extra fornacem erant. Unde sacratissimum ejus corpus nominamus divinum, et omnia corporis divina; et immaculatam ejus animam Deo cognatam, et omnia quae animae competunt, divina; et simul cum Deo unita: utraque natura proprietates suas in una divina persona inconfuse, immutabiliter et indivisibiliter conservante: quemadmodum a sanctis Patribus religiose traditum est. Confiteor etiam, animam et corpus quae Verbo hypostatice unita sunt, Verbo subjici simulque cum omnibus proprietatibus suis a Verbo magis regi ac duci, quam ulla alia creatura eidem subjiciatur et ab eodem regatur; cum longe arctius cum Verbo conjuncta sint, quam ullae aliae res creatae".

Proposui tibi hactenus, amice lector, quasi speculum quoddam totius operis et totam pene ejus seriem atque contextum tibi evolvi. Certe omnia in unum eundemque

---

[1]) Dan. 3, 92.

finem tendunt et ordine inter se connectuntur atque cohaerent. Ipse nunc judices velim, num non sit nimiae audaciae et temeritatis, opus hoc nulla diligentia nulloque ordine conscriptum esse dicere planeque nihil aliud, quam perturbatum diversorum opusculorum collectaneum atque farraginem inconditam. Facile quippe est, in talem sententiam prorumpere librumque condemnare etsi non lectum, saltem non integrum, ut suspicio mihi subest ex iis quae postea tractabimus.

Sed objicit mihi aliquis: Numquid ordinis est, capiti I. duo opuscula inseri? unum quidem quod inscribitur [1]): *περὶ πίστεως ἔκθεσις ἐν ἐπιτομῇ*, alterum vero, cujus titulus est [2]): *Σὺν Θεῷ. Προθεωρία τῆς ὑποθέσεως τῶν ὅρων τῆς βίβλου, ἧς ἡ ἐπωνυμία λέγεται Ὁδηγός.* Sed ut a posteriore tractatu incipiam, is recte quidem mihi videtur positus ante caput II. Edisserit enim, quanti momenti sit notitia variarum definitionum, praesertim earum, quae ad dogmata religionis christianae spectent, quidque differant Ecclesiasticae traditionis regulae a Graecorum philosophicis definitionibus. Atqui in omni scientia pertractanda, quanti sit ejus scientiae notitia quidque ab aliis differat, praemitti solet. Unde etiam Anastasius hanc protheoriam definitionibus ipsis praemittit hoc exemplo: „Omnium nostrae mortalium hominum naturae compositio animam rationalem et intellectualem et concretionem ex elementis, quam carnem dicimus, a supremo rerum Conditore sortita est; at vita ad virtutis normam conformata, ex pietate, fide divinorumque mandatorum observantia pulchritudinem suam dicit. Neque enim corpus anima testitutum vitam per se obtinet; neque mandatorum observatio, si cum vera et orthodoxa doctrina non jungatur, quidquam emolumenti parit. Nam quod anima corpori, hoc praestat spiritui orthodoxia, et recta de rebus divinis existimatio. Ante omnia igitur in id incumbamus eoque omnem

---

[1]) col. 41 C. [2]) col. 48.

industriam feramus, ut puram et ab omni labe integram de coelesti doctrina sententiam custodiamus, ut fundamento puro et immoto jacto angularis lapis Christus a nobis honoretur, nosque omnes culpae exsortes in hoc spirituale aedificium apposite coagmentet ac componat; ut ab omnibus haereticae imposturae impressionibus et incursibus illaesi persistamus. Quia vero stabile et inconcussum fundamentum omnis sapientiae, quae a ratione proficiscitur, consuevit esse praeceptio et pronotio definitionum proposito argumento inservientium; ideo oportet ut istae antecedant, tanquam praesentis argumenti certissimae duces. Paucis enim et his quidem minime omnium, qui aevo nostro degunt, curae cordique fuit, ut definitiones bene cognitas perspectasque haberent; sed quasi in nocturna vel potius caecorum pugna multi haereticorum, cum quibus manus conseruimus, de dogmatibus ad Christum pertinentibus digladiabantur. Quos merito effuse risimus; potissimum illos qui Alexandriae vivunt. Quid enim magis ridiculum est? De natura nova dogmata cudebant et disceptabant, et quae naturae definitio esset, penitus ignorabant. De hypostasi contendebant, et quid hypostasis esset, non cognoscebant. Nos igitur, ope Christi, a teneris unguiculis per paternam traditionem scientia definitionum accurate accepta, et conspicati, post Deum per illam omnes adversarios fusos fugatosque esse, hortamur ut ante omnia habeatur sedula definitionum cura, maxime illarum quae ad defensionem doctrinae de Christo faciunt, ne sitis barbari percussi, et is qui vobiscum loquitur item barbarus. Ante omnia autem scire oportet, traditionem Ecclesiae catholicae nequaquam in omnibus sectari Graecorum philosophorum definitiones. Praecipue in disputatione de mysterio Christi et SS. Trinitatis.... Nam mysterium divinitatis omnes naturales definitiones et leges transcendit. Quod cum haeretici non adverterint, a recta via exciderunt.... Attende igitur quid prima philosophiae definitio sanciat: „Quae natura sibi mutuo adversantur, impossibile est in

communionem venire". Exempli gratia: fieri non potest, ut ignis foeno jungatur sine noxa. Atqui prima salutis nostrae definitio evertit primam philosophiae definitionem; dum docet virginitatem et partum, divinumque ignem et naturam carnis in unam communionem et societatem coaluisse"[1])....

Haec ergo et similia cum auctor hac protheoria explicet, id opusculum mihi quidem recte videtur positum ante caput II, quo definitiones ipsae exhibentur. Sed haec quidem de hac protheoria. Restat ut de altero tractatu „περὶ πίστεως", quid mihi videatur exponam. Et quidem in ponendo hoc titulo: περὶ πίστεως ἔκθεσις ἐν ἐπιτομῇ respexisse auctorem existimaverim flebilem illam Heraclii Imperatoris ἔκθεσιν τῆς πίστεως, anno 638. editam, qua ille neque unam neque duas in Christo voluntates imposterum praedicandas esse praescripserat. Nam tota haec expositio versatur in explicanda vera et catholica de duabus in Christo voluntatibus atque operationibus doctrina, quam illa Heraclii ecthesis, a Sergio CP. Monotheletarum haeresiarcha maligne composita, eversura fuerat. Et bene quidem haec expositio subjungitur ei, quam supra dixi, progymnasiae hominem studiosum instruenti, in quibus ante omnia sese exercere debeat. Nam sic incipit: „Sciendum, non quamlibet vocem ad dogmata pertinentem sine examine et disquisitione amplectendam esse". Et exemplum affert eo tempore maxime idoneum. „Fieri enim potest, inquit, ut quis pie et impie duas in Christo naturas asserat, similiter et duas voluntates et operationes et omnia alia ad doctrinam fidei spectantia. Qui igitur in Christo duas naturales proprietates statuunt, illi nobis explicent velim, quomodo vocem illam „naturale" accipiant. Potest enim et probe et improbe accipi. Dicitur enim naturale etiam id quod fit secundum communem con-

[1]) col. 147 et 150.

suetudinem eorum qui nihil aliud sunt quam homines; quod neque in natura neque in proprietate, prout de Christo dicuntur, locum habet. Eodem modo qui vult aliam atque aliam voluntatem et operationem divinitatis et humanitatis in Christo praedicare; is non, ut fors fert, more quorundam imperitorum, illoto ore incogitanter et impudenter clamitet duas naturas et voluntates et duas naturales operationes; nam apud simpliciores scandalum facillime paritur, cum audiunt duo in Christo physica, hoc et illud; sed divino timore omnique reverentia plenus his qui capaces sunt, mysterium hoc pendat, rogatusque respondeat et explicet, quid nomine naturae, et quomodo naturae vocabulum in Christo accipiat; videlicet pro ipsa rei veritate, non pro natura, quae sit hypostasis aut persona, neque pro naturali carnis particula; sed pro duabus veris rebus in una hypostasi unitis, hoc est, pro perfecta Deitate et perfecta humanitate, inconfuse, immutabiliter et indivisibiliter in una persona Christi copulatis. Una enim persona Christus, unaque hypostasis. Similiter moneo ut auditor etiam de voluntatibus praemuniatur, ac proinde dicito: nos minime affirmare duas in Christo voluntates sibi mutuo, ut adversarius existimat, repugnantes et adversantes; neque voluntatem carni pravisque affectionibus et cupiditatibus obnoxiam; hoc enim neque daemones de Christo asserere ausint. Sed cum perfectum hominem assumpserit ut totum salvaret, perfectus et ipse homo est in humanitate. Quam ob rem divinam quidem voluntatem in Christo appellamus vim et arbitrium illud, quo velut Dominus mandata dat et praecepta figit; per humanam vero voluntatem in Christo nihil aliud intelligimus, quam volendi facultatem, qua anima ratione particeps pollet; quamque secundum imaginem et similitudinem Dei sibi a Deo concessam et inspiratam ipso creationis suae momento possidet eo fine, ut per hanc ipsam volendi et obtemperandi potentiam divinam voluntatem divinaque mandata expleat et perficiat. Quodsi anima Christi

rationali facultate volendique potestate privata est, sequitur eam neque ad similitudinem Dei conditam neque ejusdem cum animabus nostris substantiae esse; sed ex numero illarum erit, quae volendi potentiae prorsus sunt expertes, omnique sapientia et ratiocinandi virtuti carent. Nec de caetero poterit Christus perfectus in humanitate vocari" [1].... „Pari modo de duabus in Christo operationibus cogitandum et ratiocinandum est. Nam rerum mirabilium et prodigiosarum effectiones, maxime illas, quae absque attactu sanctissimae carnis Christi factae sunt, ... ascribere oportet ipsi divini Verbi divinae operationi, quae sola haec opera patravit. Rursus humanam in Christo operationem appellamus puram illam, sanctam, inculpatam, a Deo datam et creatam, vitalem et vivificam actionem, a sacrosancta Christi anima manantem, qua tempore passionis separata et ex corpore educta corpus derepente exanime mansit, divina operatione minime ab illo sejuncta" [2].... „Quidam dicunt omnem etiam accretionem aut secretionem aut ablationem aut indigentiam sanctissimae carnis Christi quae naturaliter in ipsa divinitate nec re nec consideratione insit, operationem humanam Christi appellari posse; theandricam vero, hoc est, Deo hominique consonam, operationem illam nominamus, quae communioni naturae divinae et humanae convenienter a Christo peracta est; qualis erat coeci per lutum curatio, et excitatio filiae archisynagogi attactu sacrosanctae Christi manu effecta, resuscitatio Lazari ministerio vocis &c." [3]. „Caeterum hoc pro certo exploratoque reputandum est, haereticos ideo in Christo humanam voluntatem et operationem non constituere; quod vident voluntatem et operationem suae propriae animae et corporis indesinenter et absque ulla cessatione impugnari et inquinari ab inflammatione et actione diaboli. At Monophysitae ταυτοβουλίαν καὶ ταυτοπραξίαν ex cerebro

[1]) col. 43 et 43. [2]) col. 46. [3]) col. 46.

suo commenti sunt; quemadmodum in sequentibus [1]) et alibi fuse demonstravimus".

Haec summa est totius hujus fidei expositionis, cui aptiorem alibi locum non video. Nam quae sequuntur, hanc de duabus in Christo voluntatibus atque operationibus doctrinam magis indirecte respiciunt, in quantum necessario derivatur ex duabus in Christo naturis, quas potissimas Anastasius vindicat, paucis solummodo locis [2]) lectorem de duabus in Christo voluntatibus atque operationibus commonens. Iis ergo assentiri non possum, ne quoad hos quidem tractatus cap. I. insertos, qui istud Hodegi opus vocant collectaneum perturbatum, nullo penitus ordine compositum, atque farraginem potius inconditam.

At, objicit mihi Caveus [3]), nonne auctor ipse testatur in prooemio [4]) hujus operis: librum nullo ordine esse conscriptum? Respondeo auctorem id quidem non dicere, sed solum, opus non eo ordine atque industria esse conscriptum atque expolitum, quam res postulare videretur et ipse quidem optaret, cum tamen aegritudines frequentes id fieri non sinerent. Ipse eum audias velim, benevole lector! „Rogamus ait, lectores hujus libri, ut nobis ignoscant ob varias correctiones passim adhibitas et propter tautologias [5]): nam frequentia aegritudinum nostrarum non ferebat, ut in his pro animi nostri sententia versaremur. Par enim est, ut qui hujusmodi Christianae religionis dogmatibus expli-

---

[1]) vid. cap. 14. col. 251, 254, 256.

[2]) ut cap. 14. col. 248 B, 252 C; cap. 15. col. 257 ABC; cap. II. in definitionibus (col. 65 C), ubi agit de operatione, haec interjicit: „Propterea *duas in Christo statuimus voluntates et operationes*, ne corpus inamine et animam rationis expertem in illo constituamus. Nam animati corporis operatio est ambulare et laborare. At animae rationalis operatio est actio illa volendi et ratiocinandi et consultandi".

[3]) Cave p. 345. [4]) col. 35.

[5]) „ἐπὶ ταῖς πλείσταις ἐν αὐτῇ διορθώσεσι ἢ ταυτολογίαις."

candis operam navat, omnia in schedis annotet, corrigat, inque versus distinguat; et tum concinne venusteque describenda curet [1]. Verum segnities et lentitudo eorum, qui una nobiscum sentiunt, debitam diligentiae et industriae laudem (non) retulit [2]. Quapropter schedulae loco tetradem adepti, hanc in lucem proferimus [3]. Quodsi alicubi aliquid improbabile aut a vero sensu remotum diximus, veniam poscimus; solus enim unus Deus a lapsu immunis est. Adhaec obtestamur eos, qui librum hunc transscripturi sunt, ut et scholia adjiciant, accentusque accurate observent, et puncta et semipuncta et ipsa etiam soloeca [4]); quia alias quoque imperiti quidam nostrum dogmaticum tomum blasphemiis in descriptione oppleverunt".

Hoc itaque est prooemium auctoris, ex quo complura comperimus. Ad primum quidem, auctorem frequentibus laborasse aegritudinibus; deinde jam aliud ante Hodegum opus ab eo scriptum fuisse; tum correctiones vel tautologias, quae in hoc libro occurrunt, causam esse non posse, cur librum totum uni eidemque auctori abjudicemus; denique etiam scholia ejusdem auctoris esse conjicimus, cum ea accurate describenda moneat aeque ac ipsum librum. Ceillierius quidem, scriptor saeculi elapsi clarissimus, scholia, sicut alias quoque nonnullas partes, Anastasii nostri esse non

---

[1]) „Δεῖ γὰρ τὰ τοιαῦτα Χριστοῦ δόγματα προσχιδεύσασθαι καὶ διορθοῦσθαι καὶ στιχίζεσθαι καὶ εἶθ οὕτως καλλιγραφεῖσθαι."

[2]) „ἀλλὰ τὸ ῥᾴθυμον καὶ ὀκνηρὸν τῶν ἡμετέρων συμφρόνων αὐτὴν πρέπουσαν φιλοπονίαν καὶ σπουδὴν ἐν τοῖς τοιούτοις κέκτηται." Desidero vocem negantem; sensus enim expressus repugnare videtur. Fortasse legendum sit pro αὐτὴν — οὐ τὴν.

[3]) „Διὸ ἀντὶ σχέδους τὴν τετράδα κατέχοντες οὕτως ἐξεθέμεθα." Quid sit σχέδος, quid τετράς, dicant philologi. cf. supra pag. 24. not. 1.

[4]) „δυσωποῦμεν τὸν μεταγράφειν μέλλοντα παραθέσθαι καὶ τὰ σχόλια· σημειώσασθαι δὲ ἐπιμελῶς καὶ τοὺς τόνους καὶ στιγμὰς καὶ ὑποστιγμὰς καὶ τὰ σόλοικα."

censet [1]). „Potuit enim, inquit, auctor ipse se explicare neque opus fuit, ut scholia in suum ipsius opus adderet.“ At certe Anastasium ipsum scholia adjicere potuisse nemo negabit ideoque ratio quam affert Ceillerius, mihi non probatur. Nam et nostrae aetatis scriptores operibus suis quasdam ipsi adjicere solent annotationes, quae si nomen mutaveris, scholia erunt. Anastasium vero ipsum operi suo ut scholia addidisse credam, confirmor etiam ex definitione etymologica, quam ipse praebet de scholio in cap. II., ubi de etymologia loquitur. Dicit enim [2]): *σχόλιον εἴρηται διὰ τὸ κατὰ σχολὴν παρατίθεσθαι πρὸς φερτέραν ἑρμηνείαν τῶν δυσνοήτων νοημάτων καὶ ῥημάτων.* Adverte eum non dicere, a quo scholia addantur, neque auctorem ipsum excludere, immo in auctorem non minus quam in alium haec ejus verba quadrant. Itaque etiam scholia et ea quidem omnia Anastasio meo attribuere minime dubitaverim, excepta forsan illo solo, quod capite 21. confessioni fidei auctoris additur [3]): *Δόξης διαφορὰν ἦπεν, οὐ φύσεως*, si nempe veritas sit in textu edito neque potius legendum *εἶπον* vel *εἶπα* in persona prima. Itaque ne scholia quidem ab alio interpolata esse censeo, nedum totum opus a posteriore quadam manu haud leviter interpolatum esse Caveo clarissimo [4]) concesserim.

Quod autem „Expositio fidei“ (cap. I.) in nonnullis codicibus deest [5]), in aliis vero, quemadmodum etiam „Definitiones“, S. Joanni Damasceno attribuitur [6]), argumentum

---

[1]) Histoire des Auteurs Sacrés et Ecclésiastiques, par le R. P. Dom Remi Ceillier, tom. 17. Par. 1750 p. 432.

[2]) col. 85 B.

[3]) col. 281 C. Hanc fidei confessionem habes supra pag. 38 et 39.

[4]) Cave p. 345.

[5]) ut in regio quodam Parisiensi et Colbertino et in cod. Caesar. Vindob. (vid. Ceillier, l. c. p. 431).

[6]) Vid. notitiam ex Fabricio, col. 13 & 14. Edit. Mign. tom. 89. Patrol. Gr.

nostrum minime evertit. Nam codicum inscriptionibus non omnimodam fidem adhibendam esse, ex hac ipsa quam tractamus quaestione perlucide apparet. Nam hoc ipsum Hodegi opus in codicibus inscribitur: *τοῦ ἐν ἁγίοις Ἀναστασίου Σιναΐτου Ἀντιοχείας ἐπισκόπου Ὁδηγός*, neque dubium est, quin hic titulus respicit Anastasium patriarchum seniorem Antiochenum, quippe qui fuerit vir clarissimus et columen orthodoxae fidei inconcussum, cui etiam Nicephorus Hodegum attribuit. Quod quam falsum sit, ex iis quae postea de tempore auctoris eruemus, manifestissime patebit. Quod ergo haec opuscula, quae dixi, in nonnullis codicibus S. Joanni Damasceno ascribuntur, non est, cur ea vere hujus S. Patris esse credamus. Immo celeberrimus Michael Lequienus in novam editionem operum S. Joannis Damasceni ea opuscula inserere noluit, quia Anastasii ea esse agnovit [1]. „Definitiones" etiam sub nomine S. Athanasii circumferuntur. Quod falsissimum esse, vel ex eo suspicari licet, quod in ipsis citatur [2] S. Gregorius Nyssenus, qui post Athanasium (ob. 373) claruit ac demum mortuus est a. 396, ideoque ab Athanasio citari vix potuit. Praeterea in his Definitionibus disseritur etiam de natura, de corruptibili, de voluntate, proprietate atque operatione, ex quo conjeceris, auctorem scripsisse exorta jam Monotheletica perversitate [3]. Denique „Definitiones" auctor ipse sibi vindicat in capite 23. [4]) in relata disceptatione Gajanitae et Orthodoxi quorundam, Alexandriae habita, in qua cum Gajanita quaesierit: „Et quomodo multi ex SS. Patribus affirmant corpus Christi esse incorruptibile?" Orthodoxum sic respondentem facit: „Incorruptibile et corruptibile bifariam in divinis Litteris usur-

---

[1]) Ceillier, l. c. p. 431; Oudin. tom. II. col. 560 et 561.

[2]) col. 65 B, ubi de operatione loquitur.

[3]) cf. supra pag. 45 not. 2. [4]) col. 299.

pantur, sicut jam antea in definitionibus diximus (καθὼς καὶ ἐν τοῖς ὅροις εἰρήκαμεν): interdum secundum corpus, interdum secundum animam. Unde in Genesi dicitur: „„Vidit Deus et ecce omnis caro corrupta erat““ [1]), hoc est, omnes homines sceleribus addicti erant: de quibus canit David: „„Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in iniquitatibus et studiis suis““ [2]). Respectu igitur hujus corruptionis, incorruptibile, hoc est, peccati expers, profitemur sacratissimum et integerrimum Christi corpus. At vero corpus Christi omni penitus alio modo incorruptibile esse, nullus SS. Patrum unquam asseruit“. Quae omnia fere ad verbum consonant cum ipso definitionum loco ab auctore citato [3]), quo corruptibile definit hoc modo: „Accipitur corruptio dupliciter in divinis Litteris, id est secundum corpus et secundum animam, ut quum dicitur: „„Vidit Dominus Deus et ecce omnis terra corrupta erat peccato““. Et iterum dicitur de hominibus: „„Corrupti et abominabiles facti sunt in iniquitatibus et studiis suis.““ Caeterum quando audis a doctore corpus Christi ante crucem fuisse incorruptibile, accipere id debes de incorruptione a peccato; prorsus quippe immaculatum et illibatum est; non autem intelligendum est, quasi corpus Christi quoad mortalitatem alienum quid subtilissimum et peregrinum a nostris corporibus habuerit.“

Definitiones ergo ad Anastasium auctorem spectare minime dubitandum est. Sed et illam „fidei expositionem“ ab Anastasio nostro non alienam esse, jam ex aliis ejus, quas tibi proposui, lucubrationibus vel facile judicare poteris. Hic addo, eum locum, ubi dicit [4]), „naturale et probe et improbe accipi posse; dici enim naturale etiam id, quod fiat secundum communem consuetudinem eorum, qui nihil aliud sint quam homines“, consonare ei loco quo dicit in

---

[1]) Gen. 6, 12. [2]) Ps. 52, 2. [3]) col. 74 D.
[4]) col. 42, vid. supra pag. 42.

definitionibus [1]): „Naturale est, quod in natura continetur, vel quod fit secundum communem et universalem consuetudinem, vel quod vere verum esse agnoscitur. Praeter naturam est, quod Deus non ita fecit vel quod omnino non fecit, cujusmodi est peccatum et mors. Supra naturam est, quod diversa ratione ab usitato modo factum est idque beneficio praestantioris causae. Secundum naturam est matrimonium; praeter naturam, fornicatio; supra naturam, Christi conceptio et generatio". Similiter id quod dicit in fine hujus expositionis fidei, haereticos ideo voluntatem humanam in Christo non admittere, quod videant suas ipsorum voluntates indesinenter ab inflammatione maligni hostis impugnari, fusius exponitur in capite 14. (col. 251—256). Ergo etiam hanc „fidei expositionem", quum a reliquo opere aliena non sit, immo optime ei consonet, non est cur ejusdem auctoris esse negemus.

Nullam ergo causam invenio, ex qua hoc opus haud leviter interpolatum esse judicem, immo integrum opus Anastasio meo vindico. Attamen non contenderim, si opuscula, quae hic in unum collecta videmus, non omnia eodem tempore ab Anastasio composita esse dixeris, sed alia aliis prius vel posterius, quae postea in unum collegerit. Forsitan haec fuerit causa, ob quam varii tituli in hoc libro nobis occurrunt, qui proprium quasi opus indicare videantur vel etiam ab alio inscripti existimari possint. Certe titulos capitum III. [2]) et IV. [3]) ab ipso Anastasio inscriptos esse censeo, cum cogitari nequeat, virum clarissimum ac magistrum,

---

[1]) col. 78 B: φυσικόν ἐστιν, ἢ τὸ ἐν τῇ φύσει κείμενον, ἢ τὸ κατὰ κοινὴν καὶ καθολικὴν συνήθειαν γινόμενον, ἢ τὸ ἀληθῶς ἀληθὲς γνωριζόμενον. Παρὰ φύσιν ἐστὶν, ὃ ὁ Θεὸς οὐχ οὕτως πεποίηκεν, ἢ ὅπερ ὅλως οὐ πεποίηκεν, οἷόν ἐστιν ἡ ἁμαρτία καὶ ὁ θάνατος. Ὑπὲρ φύσιν ἐστὶν, ὃ τοῦ κρείττονος οὗ γέγονε μεταποιούμενον. Οἷον, κατὰ φύσιν, ὁ γάμος· παρὰ φύσιν, ἡ πορνεία· ὑπὲρ φύσιν, ὁ τοῦ Χριστοῦ τόκος".

[2]) vid. supra pag. 24. [3]) vid. supra pag. 27.

cui nomen Moses novus postea fuerit, ab aliquo „minimum“ vocatum fuisse.

Denique non negaverim, ex pluribus nondum collectis codicibus manuscriptis nonnihil rectiorem atque accuratiorem hujus operis editionem institui posse, quam quae exstent Gretseriana et ceterae, ex Gretseriana recusae.

§ 3.

Jam vero, benevole lector, cum totum opus Anastasio nostro vindicaverim, ad propositum redeamus, atque ex ipso opere tanquam ex certissimo fundamento, per quod tempus Anastasius vixerit, eruamus.

Atque aetatem ejus quam primum conjicere licet ex eo, quod quae facta sint Alexandriae post mortem beati Eulogii, ejus urbis patriarchae, ab Alexandrinis se audivisse narrat. Refert enim cap. X.[1]: „*Narrabant nobis* catholici qui Alexandriae erant, post tempora beati Eulogii papae (Alexandrini) ibi fuisse Augustalem quendam Severianum, qui per annos satis multos[2]) quatuordecim calligraphos ejusdem secum sententiae habuerit ac aluerit, quibus id negotii dabat, ut Patrum libros falsarent ac depravarent, maxime sancti Cyrilli“. Atqui mortuus est S. Eulogius a. 608, die 13. Septembris[3]. Floruit ergo Anastastius noster certe septimo saeculo et Alexandriae fuit „annis satis multis“ post Eulogium. Itaque neque Anastasius prior patriarcha Antiochenus, qui diem supremum obiit a. 599, neque etiam Anastasius junior et prioris successor[4], qui martyrio coronatus est a. 608, die 21. Decembris, hujus Hodegi operis auctor esse potest.

---

[1]) col. 184 D. [2]) ἐπὶ ἱκανὺς χρόνους.

[3]) col. 11 et 12; Oudin. tom. II. col. 556.

[4]) Neque enim etiam hic Alexandriae esse potuit μετὰ ἱκανοὺς χρόνους post Eulogii mortem, cum eodem etiam anno quo Eulogius mortem occubuerit.

Falcissimum ergo Anastasius noster et Hodegi auctor a Nicephoro aliisque confunditur cum Anastasio seniore, quem dixi, patriarcha Antiocheno.

Secundum argumentum instituo ex cap. XV., quod inscribitur: „περὶ τῆς ἑορταστικῆς [1]), μᾶλλον δὲ θρηνητικῆς ἕκτης ἐπιστολῆς τοῦ νῦν ἐπισκόπου τῶν Θεοδοσιανῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τῆς πεμφθείσης ἐν Βαβυλῶνι“.

Episcopum autem Theodosianorum vocat Joannem, in scholio paulo inferius adjecto haec referens: „Joannes episcopus Theodosianorum ante quinque annos in duas suas heortasticas [2]) epistolas effudit hanc vocem: Omnia quae de Christo dicuntur, dici etiam de Patre et Spiritu Sancto“ [3]). Numeratur autem in heterodoxorum patriarchis, qui saeculo septimo Alexandriae residerunt, Joannes quidam hoc nomine tertius, circa a. 680, qui ab Elmacino octo annos sedisse scribitur, i. e. secundum Sollerium [4]) ab anno 678 usque ad

---

[1]) Videtur respicere epistolam, qualem patriarchae Alexandrini circa festum Paschae emittere solebant.

[2]) εἰς τὰς δύο ἑορταστικὰς αὐτοῦ.

[3]) Idem in sexta sua heortastica epistola, quam hoc capite Anastasius arguit, asseruisse videtur: „se ideo unam in Christo naturam confiteri, quia alias necessario etiam duas sanctissimae Trinitatis naturas profiteri deberent. Nam quae quis tribueret Christo, uni ex sanctissima Trinitate, haec toti Trinitati ascribenda esse“. col. 258. Hujus haereticorum argumenti eversionem videre licet etiam supra pag. 36 et 37.

[4]) vid. Historiam Chronologicam patriarcharum Alexandrinorum in Tractatu praeliminario ad Acta SS. tom. V. Jun. auctore J. B. Sollerio. S. J. pag. 75. — Fabricius (Patrol. Gr. tom. 89 col. 11 et 12 Edit. Mign.) et Ceillierius pag. 431 Joannem hunc sedentem faciunt ab a. 677 ad 686; vide etiam Euseb. Renaudot. Hist. patriarcharum Alex. p. 177. — Joannes ille, quem Lequienus (Or. christ. t. II. col. 447—448) medium ponit inter Andronicum (ob. a. 620) et Benjamin (ob. 660), ab eo ex hoc ipso loco Hodegi et eo quidem solo colligitur. Sed Lequienus hic falso supponit, Anastasium hunc Joannem episcopum dicere eo tempore quo in Aegypto disputabat, puta ante a. 640, non potius eo, quo Hodegum conscripsit. Igitur ille Joannes, quem ponit inter Andronicum

a. 685. Itaque Anastasius noster scripsit post a. 680, cum jam quinque hujus patriarchae annos praeterlapsos memoret. Quod si colligimus cum iis, quae supra [1]) ex relata ejus disputatione tertia cum haereticis Alexandriae habita conjecimus, constat, Anastasium nostrum saeculo septimo floruisse et quidem jam ante a. 640 et etiam post a. 680.

Quae hactenus eruimus, amice lector, ex toto ipsius operis fine atque argumento quam maxime confirmantur. Nam nulla posterior haeresis agitatur, quam Monophysitarum atque Monothelitarum. Huc referendum est scholion, capiti XIII. [2]) interjectum his verbis: „Οὕτως ἐρωτήσατε αὐτοὺς (τοὺς αἱρετικοὺς) καὶ ὑμεῖς· καὶ οὕτως ἁρμόσασθε [3]) πρὸς αὐτοὺς κατὰ τὸν προκείμενον σκόπον, τοὺς μὲν Ἰακωβίτας περὶ φύσεως, τοὺς δὲ Ἁρμασίτας περὶ θεανδρικῆς ἐνεργείας". Harmasitae autem dicuntur ab Harmasio quodam Monotheleta Alexandrino, qui anathemati subjicitur in insigni illa epistola S. Sophronii Hierosolymitani ad Sergium CP. hoc exemplo [4]): „Πρὸς τούτοις ἀνάθεμα ἔστωσαν καὶ κατάθεμα Κῦρος ὁ τῆς Ἀλεξανδρέων μοιχὸς ἀθεσμότατος, Θεόδωρος Φαρανίτης, Σέργιος Κωνσταντινουπόλεως, Ὀνώριος Ῥώμης, οἱ τῆς τῶν Μονοθελητῶν αἱρέσεως ἀρχηγοὶ καὶ συνήγοροι. Πύῤῥος, Παῦλος, Πέτρος, οἱ τῆς βασιλίδος πρόεδροι, τῆν ἀσεβείας δὲ πρόβολοι, ἑαυτοῖς καὶ τῇ ἀληθείᾳ μαχεσάμενοι· Μακάριος Ἀντιοχείας, καὶ Στεφανος ὁ τούτου μαθητὴς καὶ ἀπονοίας διδάσκαλος, Πολυχρόνιος, νέος Σίμων μάγος· καὶ

et Benjamin, fundamento caret, et Joannes iste, quem Anastasius allegat, potius idem ipse est, quem Lequienus dicit Joannem Semnudaeum, quemque a. 686 mortuum esse refert. (l. c. col. 452—453). Hinc etiam Renaudotus Joannem illum Lequieni inter Andronicum et Benjamin recte praetermisit.

[1]) pag. 18. [2]) col. 224.

[3]) Sic lego pro ἁρμόσασθαι. Forsitan alludit ad Harmasitas.

[4]) Vid. Mich. Lequien. ad Joan. Damascen. tom I. p. 528 in Patrol. Graec. tom. 95 Edit. Mign. col. 127 et 128.

ὁ κατὰ τὴν Ἀλεξάνδρειαν μεχρὶ νῦν τῇ ἀληθείᾳ μαχόμενος, Ἁρμάσιος, τὸ κάθαρμα, οἵ τε σὺν αὐτοῖς αἱρετικοὶ καὶ τῆς ὀρθοδοξίας πολέμιοι, Σαρακηνικῷ φρυάγματι σεμνυνόμενοι". „Praeter hos anathema sint et catathema Cyrus Alex. Eccl. scelestissimus adulter, Theodorus Pharanita, Sergius CP., Honorius Romae, Monotheletarum haeresis duces et patroni; Pyrrhus, Paulus, Petrus, regiae quidem urbis antistites, verum impietatis propugnatores, secum et cum veritate pugnantes; Macarius Antioch., ejusque discipulus Stephanus simulque amentiae magister, Polychronius, novus Simon magus; et qui Alexandriae adhuc veritatem oppugnat Harmasius piacularis homo, quique cum illis haeretici atque orthodoxae fidei hostes, Saracenico fastu elati". Ex quibus conjicitur, Harmasium eodem tempore vixisse cum S. Sophronio, quem obiisse constat a. 638. Ergo recte Harmasitae saeculo septimo assignandi sunt neque tamen scio, an saeculo septimo recentiores etiamtum exstiterint, cum haud ita celebre nomen obtinuisse videantur. Quidquid est, laudatum scholion optime consonat iis, quae antea de Anastasii nostri Sinaitae tempore allegavi. Ergo ex ipso Hodegi opere certissime concluditur, Anastasium nostrum presbyterum [1]) et monachum [2]) Sinaitam viguisse jam ante a. 640 et etiamtum claruisse post a. 680.

§ 4.

Sed incassum tantam molem extruxi. En clamitat Oudinus, hoc opus Hodegi spectare non posse nisi ad Anastasium quendam Sinaitam et patriarcham Antiochenum, hujus nominis IV., quem ad initium saeculi undecimi circa a 1010 vel 1020 assignat, ut jam supra dixi pag. 1. Et decem rationes affert.

---

[1]) vid. supra pag. 27, Hodegi cap. 4.
[2]) vid. supra pag. 17.

Ac primum quidem ait, „hoc opusculum aliud nihil esse quam perturbatum diversorum a se invicem distinctorum opusculorum collectaneum seu farraginem potius inconditam diversorum tractatuum, uti ex lectione apparere. Atqui ex oculis et judicio omnium eruditorum hujus saeculi nullum inveniri intra sex priora ecclesiae saecula, qui farragines ejusmodi incompositas scopasque dissolutas Ecclesiae obtulerit: unde ex communi sensu atque judicio concludendum esse, opusculum istud nullatenus posse convenire aut spectare vel ad Anastasium I seu seniorem vel ad Anastasium juniorem prioris successorem. Contra vero apud auctores Graecos recentiorum temporum a saeculo Ecclesiae nono et sequentibus plurima ejusmodi collectanea seu farrigines male compactas, qualem istam esse, emanasse et exstare. Unde et per se clamare farraginem istam in Anastasii Sinaitae monachi atque Antiocheni episcopi nomine quarti gratiam, quem saeculo Ecclesiae ineunti XI. alligaverit, ubi scientia atque eruditio inter Graecos maxime languerit“ [1]. Verum quonam jure Oudinus meus hanc conclusionem instituat, equidem non video. Sane in ejus sententia multa sunt distinguenda atque arguenda. Ac primum quidem quod dicit Hodegum esse perturbatum collectaneum seu farraginem potius inconditam, non est cum eo contendendum. Quippe quod est uniuscujusque judicium atque gustus, ne dicam diligentia in examinando, facile aliquem librum ordinatum inordinatumve reperit. In quo non est de gustibus disputandum. Sed esto, Hodegi opus esse collectaneum perturbatum atque farriginem inconditam, tamen ex eo non sequitur, nullum intra sex priora saecula talem librum Ecclesiae offerre potuisse. Neque si „ex oculis et judicio omnium eruditorum“ nondum quisquam inventus est, qui

---

[1]) Oudin. tom. II. col. 554.

id fecerit ex eo collegi potest, plane nullum fuisse. In quo mihi Oudinus nimis arroganter judicat. Immo jam saeculo sexto compilationes varias ac sacra, quae dicebantur, Parallela a Leontio Byzantio ortum habuisse post Wolfium (Dissert. de catenis. Wittenbergae 1712) Cardinalis Maius (Veterum scriptorum nova collectio T. I. edit. primae, Prolog. p. LIV. et P. III. p. 43 seq.) luculenter ostendisse videtur. Verum et hisce praetermissis, quum ex libro ipso viderimus, auctorem saeculo septimo vixisse, Oudino ex animo consentiendum est, opusculum istud nullatenus posse spectare vel ad Anastasium priorem patriarcham Antiochenum vel ejus successorem. Sed qua de causa auctorem Hodegi detrudit ad saeculum undecimum, integris quinque saeculis audacter transmissis? Annon saeculo septimo vel octavo auctor aliquis talem librum offerre potuit? Sed id non est Oudino curae, immo Hodegum velit nolit per se clamare dictat ad Anastasium suum monachum Sinaitam atque Antiochenum episcopum nomine IV. Huic ergo primo Oudini argumenta nullam vim attribuere possum.

Secundum argumentum Oudinus instituit [1]) ex judicio Aubertini, qui ex relata Eulogii morte recte concludit, opus spectare non posse ad duos illos Anastasios patriarchas Antiochenos neque priorem, neque posteriorem. Sed miror, quanta Oudinus dexteritate hinc progediatur. „Restat ergo, inquit, ut opus istud ad Anastasium Antiochenum episcopum alterum et juniorem multis saeculis, quem quartum diximus, spectet, quem Aubertinus non novit;“ quasi ab initio saeculi septimi usque ad initium saeculi undecimi non restarent integra quatuor saecula, quae ne verbo quidem respicere, immo audacter transilire Oudinus pro ingenii sui virtute haud dubitat.

---

[1]) Oudin. tom. II. col. 556.

Tertium Oudinus argumentum sumit „illudque sensu suo validissimum“ ex capite Hodegi XII. de salutifera Christi passione inscripto. Ibi [1]) auctor „expresse refert imaginem Christi crucifixi singulari quodam modo a se delineatam et adjuncta inscriptione illustratam esse; simul etiam omnes, qui postea idem opus descripturi sunt per Filium Dei adjurans, ne omittant similem imaginem apographis suis inserere“ [2]). „Atqui, hinc concludit Oudinus, hoc indicat scribentem auctorem post stabilitas publice imagines, quod in concilio Nicaeno II. a. 787 habito factum est. Ergo auctor hujus Hodegi posterior est. . . Recte autem Anastasius Sinaita et Antiochenus episcopus nomine quartus haec scribere potuit, quippe qui circa vel saeculi decimi finem vel undecimi initium vixerit“ [3]). Stupesco ob Oudini mei acumen atque sagacitatem. Quippe ante concilium Nicaenum II. imagines non habebantur, neque delineari poterant, quum tamen ipsius iconoclastici furoris atque insaniae origo imaginum cultum praesupponat, neque ipsa Nicaena synodus II. imaginum cultum tunc demum in Ecclesiam invexerit, sed potius contra insanos hostium sacrarum imaginum impetus defenderit solum atque approbarit. Quonam igitur jure Oudinus auctorem Hodegi post Nicaenam synodum II detrudat ex eo, quod imaginem Christi crucifixi delineavit, prorsus non video, ut omittam, etiam hic Oudinum gratis transilire amplius duo saecula a synodo Nicaena a. 787 habita ad a. 1010. Sed id quidem est Oudini argumentum tertium „illudque sensu ejus validissimum“.

Quartum Oudinus argumentum desumit ex ipsis auctoris praecautionibus, quae recentiorem aperte Graeciam arguant. Ita enim scriptorem illum Hodegi ad prologum primi hujus

---

[1]) col. 195 et 198.
[2]) Oudin. tom. II. ibid.
[3]) Oudin. tom. II. col. 558.

farraginis opusculi: „Adhaec obtestamur eos . . . . . opleverunt“ [1]). Et tum ad prologum operis secundi, ut nimirum vult Oudinus, anonymi, cujus caput III. praefatio sit et nihil aliud, eandem virum bonum cautilenam repetere. „Rogo autem eos, qui hunc librum lecturi sunt, ut etiam legant scholia suis locis inserta. Et si, ut probabile futurum, soloeca quaedam continet, venia dabitur. Dum autem auctor tota mente et cogitatione in sensu notondo et designando defixus haeret, saepe usuvenit, ut soloecismos et interpunctiones in postremis ducat“ [2]). Has autem scriptoris praecautiones de soloecismis non corrigendis, de scholiis in opus importandis, de accentibus accurate observandis, qui recentes apud Graecos esse credantur, haec omnia redolere scriptorem saeculi ut plurimum undecimi, seu Graeciae recentioris auctorem, qualem ejus parentem se statuisse Anastasium quartum. Sex autem priorum Ecclesiae saeculorum temporibus neque duobus etiam sequentibus unquam precatos esse Patres Graecos vel scriptores ullos, vel de scholiis suis operibus adjiciendis, vel de accentibus, punctis ac semipunctis sedulo observandis, vel de soloecismis non corrigendis“ [3]). Unde Oudini quidem sensu „bardus est hebesque, quisquis istud opusculum ultra saeculum undecimum collocandum censuerit“ [4]). Nimirum Oudinus vetat, auctorem saeculo septimo suo sensu scripsisse, neque in probatione sua circuli vitium veretur, quum si ex aliis certis argumentis statutum est, auctorem scripsisse saeculo septimo, jam verum non sit, nullum Patrem vel scriptorem octo priorum Ecclesiae saeculorum tale quidquam in libris suis monuisse. Quod vero dicit, accentus apud Graecos recentes credi, eodem spectat. Nam potius ex hoc libro accentuum usum jam viguisse saeculo septimo conjiciendum

---

[1]) vid. supra pag. 46.

[2]) col. 88 D.

[3]) Oudin. tom. II. col. 559.

[4]) Oudin. ibid.

est, quam ex incerto accentuum usus origine librum certum evertere.

Quinto Oudinus ex his solis verbis, ubi legitimae disputationis conditiones exigit, auctorem sane recentissimum esse conjicit. „Exploratos habeat chronographos .... sese acturum" (vid. supra pag. 23 num. 8, 9 et 10). Quibus citatis Oudinus sic progreditur: „Expers omnino rerum antiquarum atque judicii vacuus existo, si tantae praecautiones quas in disputationibus polemicis auctor exigit, excedant trutinam et cautelas, a recentioris fori legibus et scholasticae balbutiei temporibus excogitatas". „Errare itaque toto coelo, qui scriptorem hunc ante saeculum undecimum admiserint." Addit „methodum hujus opusculi esse ejusdem farraginis et confusionis cum opusculo Quaestionum 154 in Scripturam sacram, quae certo ex Oudini sententia ad eundem Anastasium Sinaitam et episcopum Antiochenum spectent" [1]). De hoc Oudini argumento idem dicendum mihi videtur, ac de prioribus primo et quarto: quasi penes Oudinum sit, quidnam priorum temporum scriptori licuerit, quid non. Quid vero de Quaestionibus 154, quae sub nomine Anastasii exstent, sentiendum sit, postea videbimus. Certe ad rem Oudini nihil faciunt.

Sextum et septimum argumentum Oudinus instituit ex eo, quod „professio fidei", quae habetur in cap. I., aeque ac „Definitiones" (cap. II.), in nonnullis codicibus reperiuntur sub nomine S. Joannis Damasceni, quem circa a. 750 floruisse constat. „Hinc aperte sequi, Hodegum non posse spectare ad tres priores Anastasios Sinaitas et Antiochenos episcopos, qui omnes multis annorum decadibus aetate S. Joannis Damasceni antiquores sint, nec hanc fidei confessionem opusculis suis inserere potuerint. Spectare igitur ad Anastasium quartum" [2]). Quasi vero constet, haec duo opuscula

---

[1]) Oudin. tom. II. col. 559.

[2]) Oudin. tom. II. col. 561.

esse reapse S. Joannis Damasceni nec potius cum doctissimo viro Michaeli Lequieno dicendum sit, librariorum imprudentia (dicam an impudentia) nomen S. Joannis Damasceni his opusculis praefixum esse [1].

Octavum argumentum Oudinus sumit ex epitheto „Minimi", quod auctor sibi tribuit in titulis cap. III. et IV. [2]. „Scriptos namque hos tractatus non videri ante saeculi decimi medium, quo apud Graecos monachi et presbyteri affectaverint epithetum „minimi" suo nomini adjicere, ex humilitatis sensu" [3]. Oudinus quippe prohibet, quominus priorum temporum aliquis minimum se vocet, quasi ex eo ipso, quod postea aliquid factum sit, antea idem fieri non potuerit.

Nono Oudinus „ex citationibus Dionysii Areopagitae concludit, scriptōrem recentioris Graeciae esse, maxime dum alleget [4], scholia fuisse scripta a Dionysio Alexandrino episcopo in opera S. Dionysii Areopagitae, quod apertum sit mendacium. Nam opera hujus Areopagitae a nemine cognita vel allegata fuisse unquam ante collationem a. 533. CP. factam inter Severianos et orthodoxos, Severianis illa primum allegantibus, sed Orthodoxis velut incognita et incerba rejicientibus. Porro qua ratione alterum Dionysium Alexandrinum episcopum, qui a. 260. inter celebres viros fuerit, scholia in ea scribere potuisse, quorum nullus veterum mentionem faciat ante Hodegi scriptorem? Esse igitur haec mendacia, quae probent auctorem esse Graciae recentioris et mendacis, qui ante a. 1020 seu saeculum undecimum et obscurum, in quo judicium nullum fuerit et omnia indiscriminatim bona mala admissa sint, scribere iste non potuerit" [5].

---

[1]) Haec Lequieni verba (ex ejus Opp. S. Joann. Dam. edit. Paris. 1771. tom. I. p. 661) ipse Oudinus allegat nec tamen a sententia sua recedit.

[2]) vid. supra pag. 24 et 27.

[3]) Oudin. tom. II. col. 562.

[4]) cap. 22 col. 289.

[5]) Oudin. tom. II. col. 563.

Perinde ac si errare humanum non sit, atque ex eo ipso, quod quis veritati minus consonum aliquid retulerit, in posterioris saeculi tempora sit detrudendus, vel quasi auctor saeculi septimi non aeque errare potuerit, ne mendacitatis id esse cum Oudino injuriose dicam, ac scriptor quisquam saeculi undecimi. Quod igitur Anastasius noster Dionysium Alexandrinum archiepiscopum allegat scholia scripsisse in cognominem Dionysium Areopagitam, solum ex eo sequitur, Anastasium hic errore deceptum fuisse, ut quum S. Augustinum facit martyrem[1]), et ut postea videbimus[2]), Martinum Papam, qui Ecclesiam rexit ab a. 649 ad a. 655, Pontificio solio sedentem refert eodem tempore quo regnavit Heraclius imperator, qui jam a. 641. decesserat. Immo non solum Anastasium hic errasse conjici licet, verum etiam aequales, quum ipse Anastasius, qui haereticos saepius graviter arguit, quod et Scripturam et Patres depravarent, haec Dionysii Areopagitae scripta contra haereticos atque ad orthodoxos confirmandos allegare haud dubitet. Minime vero sequitur, auctorem saeculo posteriore et eo quidem undecimo scripsisse. Quod autem Oudinus meus clarissimus deinde dicit, „nihil mirum, quod Photius patriarcha CP., qui circa a. 860 Bibliothecam composuerit, nullam operum istorum Anastasii nostri mentionem faciat“ [3]), miror, doctissimum virum subterfugisse, ex eo argumento nihil omnino profici, quum Photium non omnes scriptores in Bibliotheca sua recensuisse sane Oudinus ipse optime noverit.

Decimum et id quidem ultimum argumentum Oudinus sumit ex eo, quod vult [4]) scriptorem istum Hodegi allegare atque etiam fusius explicare quaedam opuscula alterius Anastasii Sinaitae et Antiocheni episcopi nomine tertii, quem assignat ad a. 685 et cujus exstare dicit [5]) „compendiariam

---

[1]) v. supra pag. 30. [2]) pag. 70. [3]) Oudin. tom. II. col. 563 et 580.
[4]) Oudin. tom. II. col. 564. [5]) Oudin. tom. I. col. 1663.

fidei orthodoxae institutionem" et „narrationem de haeresibus et de conciliis adversus eas celebratis usque ad concilium oecumenicum sextum atque tempora Justiniani II. Rhinotmeti". Haec ergo Anastasii sui III opuscula allegari vult Oudinus ab Hodegi auctore tum in „expositione fidei", capiti I inserta, tum in capitibus secundo et tertio et quarto, denique capite quinto de sex oecumenicis conciliis, „uti titulum habere" [1]). Verum si vixit Anastasius quidam, quem vult Oudinus Sinaitam simul et Antiochenum episcopum, circa a. 685, id quod Caveus [2]) et Oudinus [3]) conjiciunt ex opusculis, quae supra nominavi; nonne is multo rectius idem esse censetur cum auctore nostro Hodegi, quam ut cum Oudino dicamus, ejus quaedam opuscula a posteriore Anastasio, quem sibi fingit saeculo undecimo, in isto Hodegi opere allegata esse. Nonne enim sua ipsius opera Hodegi auctor hic colligere vel allegare potuit? Itaque hoc ipsum argumentum decimum et id quidem ultimum, quod „evidenter probare" vult Oudinus, opus istud Hodegi spectare non posse nisi ad Anastasium Antiochenum patriarcham et Sinaitam monachum, quem a. 1010 vel 1020 vixisse conjicit, hoc ipsum igitur argumentum decimum non magis evidens mihi videtur quam priora novem.

Decem itaque rationes Oudinus attulit: quid vero iis aliud profecerit quam ut sui revincendi negotium facesseret, equidem non video. Sed et aliqua suspicio mentem meam subit. Quum enim vir doctissimus omnia sua argumenta instituat ex solis primis quinque capitibus et ultimis tribus, deinde ex imagine Christi crucifixi capite XII delineata fere circa medium operis [4]), quae pro novitate sua modoque insigni oculos fugere nequivit, eorum autem

---

[1]) cf. tamen supra pag. 27. [2]) Cave pag. 392.

[3]) Oudin. tom. I. col. 1663.

[4]) Nam ut rationem afferam, opus Hodegi in Edit. Mign. incipit a col. 35, et desinit in col. 310; imago vero isthaec invenitur in col. 197.

argumentorum, quae supra ex ipso libro retuli, ne mentionem quidem faciat, nisi quod ex Aubertino mortem Eulogii memoret [1]); nullam Oudino meo injuriam intulisse me existimem, si eum nimis obiter et parce hunc librum legisse suspicatus sim adinstar quorundam censorum, qui lecto initio et fine et forsitan medio alicujus libri de eo sententiam, aequa iniqua sit, ferre non dubitant. Sed haec de Oudino satis sint.

[1]) Oudin. tom. II. pag. 556. cf. supra pag. 56.

CAPUT III.

DE SERMONE TERTIO INSCRIPTO IN ILLUD: SECUNDUM IMAGINEM.

Quum capite praecedenti de Hodegi auctore ex ipso libro disseruerim, jam quaestionem de eo instituam, quaenam ex iis scriptis, quae sub Anastasii sive Sinaitae sive Antiocheni nomine in editione Migniana exstant, vere ad Hodegi auctorem spectare videantur.

Ac primum quidem dicendum mihi visum est de *sermone illo tertio* qui legitur col. 1151 et sequentibus, quique sic inscribitur: „*Ἀναστασίου πρεσβυτέρου τοῦ ἐν τῷ Σινᾶ ὄρει, λόγος γ'*: Hoc sermone declarat auctor causam, quare duos sermones in illud: „Ad imaginem" conscripserit. Ostendit etiam, quam ob causam atque unde initium duxerit disputatio de operationibus atque voluntatibus; deinde vere proponit, quinam recte, qui secus, haec in Christo docuerint"[1]).

Hunc autem sermonem III. ejusdem auctoris esse atque Hodegum, conjicio ex eo, quod compluribus locis Hodego optimo consonat tum rebus tum verbis. Ac primum quidem huc referendum mihi videtur, quod legitur col. 1160 his verbis: „*Ἀλλ' οἱ ἀληθῶς ὄντως ὑπὸ τῆς ἐνεργείας τοῦ διαβόλου ἐνεργούμενοι*[2]), *καὶ εἰς τὰς πυρώσεις καὶ ἐκκαύσεις τῆς σαρκὸς ἐκμαινόμενοι καὶ ὑπὸ τοῦ σαρκικοῦ θελήματος κατακαμπτόμενοι καὶ μολυνόμενοι καὶ βορβορούμενοι, μὴ ἰσχύ-*

---

[1]) Exstat idem sermo in Scriptt. vett. nov. coll. ed. Mai. t. VII. p. 193—202 sub titulo: „λόγος τέταρτος".

[2]) sc. de duabus in Christo voluntatibus male sentientes, ut patet ex iis, quae praecedunt.

σαντες διακρῖναι, τί μέν ἐστι τὸ ἐπείσακτον καὶ πονηρὸν θέλημα, καὶ ἡ παρὰ φύσιν ἐνέργεια, τί δέ ἐστι θεόφυτον καὶ θεόσδοτον τῆς ψυχῆς λογιστικὸν καὶ ἐπιθυμητικὸν οὐσιῶδες θέλημα, καὶ τί πάλιν ἡ ζωτικὴ αὐτῆς καὶ συστατικὴ τοῦ σώματος ἐνεργεία, ὡς γνήσιοι τοῦ Μάνεντος μαθηταί, διαβάλλουσι τὸ τῆς φύσεως τοῦ θεοκτίστου ἀνθρώπου θέλημα, κακίζουσιν ὡς οἱ Μανιχαῖοι τὴν ἡμῶν θεόκτιστον σάρκα, ὑβρίζουσι τὴν ζωοποιὸν θεόσδοτον ἡμῶν ἐνέργειαν, μέμφονται τὴν νοερὰν ἡμῶν θεόσδοτον ἐπιθυμίαν, δι' ἧς ὀρεγόμενοι τῶν θείων τυγχάνομεν τῆς σωτηρίας, διὰ παντὸς αὐτῶν τοῦ δόγματος τῷ Κτίστῃ προσκρούοντες. Εἰ δὲ πονηρὸν ἦν τὸ ἔμφυτον τῆς ψυχῆς θέλημα, πῶς φησιν ὁ Δαβίδ· „Ὅτι καὶ ἐκ θελήματός μου ἐξομολογήσομαι τῷ Θεῷ" [1]; Πῶς γὰρ ἂν ὅλως καὶ δυνήσεται ἡ ψυχὴ θελῆσαί τι τῶν θείων, εἰ μὴ ἔχει θέλησιν λογικήν; ἢ πῶς νοήσει τι τῶν κρειττόνων καὶ νοερῶν ἢ ἐνεργήσει μὴ ἔχουσα ἐνέργειαν νοεράν, δι' ὧν δύο ἰδιοτήτων ἐξεικονίζει σαφῶς ἐν ἑαυτῇ τὸ κατ' εἰκόνα καὶ ὁμοίωσιν Θεοῦ; Διὰ γὰρ τοῦτο καὶ μόνον ἡμῖν πεπόνηνται οἱ προκείμενοι εἰς τὸ κατ' εἰκόνα λόγοι, εἰς τὸ δεῖξαι, ὡς ἐν τύπῳ τινὶ καὶ εἰκόνι τῷ ἀνθρώπῳ οὐ μόνον τῶν δύο τοῦ Χριστοῦ οὐσιῶν τὴν προδιατύπωσιν, ἀλλὰ καὶ δύο ἐνεργειῶν καὶ θελημάτων ἀδιαβλήτων, ὡς ἐν τύπῳ τινὶ ἀμυδρῷ προδιάγραψιν. Καὶ γὰρ τὸ τιμᾷν πατέρα καὶ μητέρα καὶ ἀδελφοὺς ἀγαπᾷν καὶ συγγένειαν, φύσεως ἀνθρωπίνης φυσικόν ἐστιν οὐσιῶδες θέλημα ψυχῆς ἀδιάβλητον· τὸ δὲ καταλεῖψαι καὶ ἀρνήσασθαι διὰ Θεὸν πατέρα καὶ μητέρα καὶ ἀδελφούς, ὄντως θεῖον καὶ ὑπὲρ φύσιν θέλημα ἀξιέπαινον. Ἰδοὺ θελήματα ἀδιάβλητα, τὸ μὲν φύσει ἀνθρώπινον, τὸ δὲ ὑπὲρ φύσιν καὶ θεῖον."

In hoc loco plura sunt notanda. Primo, quod duarum in Christo operationum adversarii ab auctore dicuntur „ἀληθῶς ὄντως ὑπὸ τῆς ἐνεργείας τοῦ διαβόλου ἐνεργούμενοι

---

[1]) Ps. 27, 7.

καὶ εἰς τὰς πυρώσεις καὶ ἐκκαύσεις τῆς σαρκὸς ἐκμαινόμενοι κτλ.", optime consonare mihi videtur cum iis, quae in Hodego leguntur cap. I. in „expositione fidei, col. 48., quae latine dedi supra pag. 44 et 45: „Caeterum hoc pro certo .... demonstravimus". „Consonat etiam quam maxime scholion, expositioni fidei subjectum [1]) his verbis: „*Μὴ λανθανέτω τοὺς φιλοπόνους, ὅτιπερ ἐπειδὴ τοὺς δαιμονιζομένους, ἐνεργουμένους εἰώθαμεν ὀνομάζειν, τούτου χάριν οἱ αἱρετικοὶ ἐπειδὰν ἀκούσωσιν ἐνεργείας ἐν τῷ Χριστῷ, εὐθέως τὰς τῶν πασχόντων ἐνεργείας νομίζοντες ταύτας εἶναι, ἀγανακτοῦσι καὶ ἀποστρέφονται τὴν τοιαύτην φωνὴν ὡς ἀληθῶς ἐνεργούμενοι ὄντες ἤγουν δαιμονιζόμενοι*".

Secundo notandum est, quod auctor hoc loco distinguit *δύο θελήματα ἀδιάβλητα, τὸ μὲν φύσει ἀνθρώπινον, τὸ δὲ ὑπὲρ φύσιν καὶ θεῖον*, et *τὸ ἐπείσακτον καὶ πονηρὸν θέλημα καὶ τὴν παρὰ φύσιν ἐνέργειαν*, quae opponitur ei quae a Deo data est animae operationi, optime respondere ei loco in Definitionibus, ubi distinguit et definit haec tria: *τὸ φυσικὸν, τὸ παρὰ φύσιν, τὸ ὑπὲρ φύσιν* [2]). Etiam exempla utrobique rei et secum conveniunt. Idem ergo sensus, eadem mens utrobique agnoscitur.

Deinde referre juvat, quod habetur in sermone hoc tertio, col. 1161 B. „*. . . διὰ τῆς θελήσεως τῆς λογιστικῆς καὶ βουλευτικῆς καὶ διανοητικῆς τῆς νοερᾶς ψυχῆς τῆς τοῦ δούλου μορφῆς ἐπλήρου ὁ Χριστὸς τὴν ὑπακοὴν καὶ τὸ θέλημα τοῦ Πατρός καὶ τὴν ἐντολὴν καὶ τὸ πρόσταγμα καὶ τὸν νόμον· διὰ δὲ πάλιν τῆς ζωτικῆς καὶ ζωοποιοῦ θεοσδότου αὐτῆς, λέγω δὴ τῆς ψυχῆς τῆς νοερᾶς, ἐνεργείας συνεκράτει καὶ ἐζωοποίει καὶ ηὔξει τὸ οἰκεῖον σῶμα ὁ Θεὸς Λόγος κατὰ τὸν ὅρον καὶ νόμον, ὃν δέδωκε τῇ λογικῇ ψυχῇ ζωοποιεῖν καὶ συγκρατεῖν καὶ αὔξειν καὶ κινεῖν τὴν τῶν σωμάτων φύσιν. Ὅθεν καὶ ψυχὴ δι' οὐδὲν ἕτερον εἴρηται, εἰ μὴ ἐκ τοῦ ψύχειν*

---

[1]) ead. col. 48. [2]) col. 77 B vid. supra pag. 50 not. 1.

ἤγουν ζωοποιεῖν τὸ σῶμα. Ἐκ τούτου καὶ ἀποψύχειν τὸ ἀποθνήσκειν εἴρηται· ὥσπερ πάλιν τὸ ἀναψύχειν τὸ ζῆν". His conferre licet, quae dicuntur in Definitionibus Hodegi cap. II. col. 69 A: „καὶ ἡ ψυχὴ δὲ ἐκ τῆς οἰκείας ἐνεργείας ἔχει τὴν τῆς ψυχῆς προσηγορίαν· ψύχειν γὰρ τὸ ζωοποιεῖν λέγεται. Οὐκοῦν ἐκ τῆς ζωοποιοῦ ἐνεργείας ψυχὴ λέγεται διὰ τὸ ζωοποιεῖν τὸ σῶμα", et col. 72 D: „ψυχὴ δὲ εἴρηται διὰ τὸ ψύχειν, ἤτοι διὰ τῆς οἰκείας ἐνεργείας ζωοποιεῖν τὸ σῶμα"; item quae dicuntur de anima Christi rationali Verbo subjecta in expositione fidei Hodegi cap. I. col. 44 B, quem etiam locum latine supra dedi [1]).

Tertio eundem esse auctorem Hodegi atque hujus sermonis tertii conjicere licet ex eo loco, ubi agit de Christi ad inferos descensione (col. 1172 CD) hoc exemplo: „καὶ ὁ Πέτρος περὶ Χριστοῦ ἐν τῇ ἐπιστολῇ τῇ καθολικῇ λέγει, ὅτι „„Πορευθεὶς ἐκήρυξε καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι τοῖς πότε ἀπειθήσασιν"" [2]), ἥντινα κατάβασιν αὐτὸς ὁ Κύριος πρὸς τὸν Ἰωβ προκαταγγέλλει λέγων· „„Ἦλθες δὲ ἐπὶ τρίβους θαλάσσης, ἐν δὲ ἴχνεσιν ἀβύσσου περιεπάτησας; ἀνοίγονται δέ σοι φόβῳ πύλαι θανάτου, πυλωροὶ δὲ ᾅδου ἰδόντες σε ἔφριξαν"" [3]); Αὕτη δὴ οὖν ἡ κατάβασις Χριστοῦ ἡ ἐν τῷ ᾅδῃ, καὶ ἡ παρουσία καὶ τὸ κήρυγμα πῶς γέγονε; Θεὸν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε, ἀλλ' οὔτε ἰδεῖν δύναται· πάλιν δὲ τὸ πανάγιον σῶμα Χριστοῦ ἐν τῷ θανάτῳ αὐτοῦ ἐν τῷ μνήματι ἄνω ἐπὶ γῆς ἔκειτου. Πῶς οὖν ὁ ᾅδης ἐσκυλήθη; ποίαν μορφὴν οἱ πυλωροὶ τοῦ ᾅδου ἰδόντες ἔφριξαν; τίς τὰς ἀπ' αἰῶνος δεσμίους ψυχὰς τῶν κεκοιμημένων ἀνθρώπων ἐπεσκέψατο; Πρόδηλον, ὅτι ἡ πανάχραντος τοῦ Δεσπότου Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ψυχὴ τὰς ὁμοουσίους αὐτῆς ψυχὰς τὰς λογικὰς ἐπεσκέψατο· αὕτη πρὸς αὐτὰς κατελήλυθε σύνθεος· αὕτη τὸ δεσμωτήριον ἐσκύλευσεν· αὕτη τὸν τύραννον ἔδησε καὶ τοὺς δεσμίους ἀπέλυσε, βοήσασα τοῖς ἐν δεσμοῖς· Ἐξέλθετε". Consonant

---

[1]) vid. pag. 43. [2]) I. Petr. 3, 19. [3]) Job. 38, 16 seq.

autem haec nonnulla fere ad verbum cum iis, quae legimus in Hodegi capite XIII. col. 224 et 225: »Κατέλθωμεν καὶ ἐν τῷ ᾅδῃ, καὶ ἴδωμεν ἐκεῖ τὸν Χριστὸν, πῶς σκυλεύει τὸ δεσμωτήριον. Ἐρωτήσωμεν τὸν Ἀδὰμ, ἐρωτήσωμεν τὰ σώματα, καὶ τὰ στόματα τῶν ἀναστάντων ἁγίων, ὅπως εἴπωσιν ἡμῖν, πῶς ἑώρακαν ἐν τῷ ᾅδῃ Χριστόν· ποίῳ σώματι, ποίᾳ φύσει, ποίᾳ μορφῇ ἦλθε καὶ κατῆλθεν ἐν τοῖς καταχθονίοις; Πῶς ἐν ἴχνεσιν ἀβύσσου περιεπάτησε; Ποίᾳ φύσει ἠνοίγησαν φόβῳ πύλαι θανάτου; Ποίαν ἰδέαν ἰδόντες οἱ πυλωροὶ τοῦ ᾅδου ἔφριξαν; Ἆρα τὴν θείαν φύσιν ἑώρακαν γυμνήν; Ἄπαγε. Θεὸν γὰρ οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε. Ἀλλά τις ἄρα τὴν σάρκα τοῦ Δεσπότου ἐθεάσατο; Οὐδαμῶς. Αὕτη γὰρ ἔνθεος ἐν τῷ τάφῳ νεκρὰ καὶ ἀκίνητος ἔκειτο. Οὐκοῦν . . . . ἐν τῷ ᾅδῃ εἴδομεν τὸν Χριστὸν, καὶ οὐκ εἶχε οὔτε σῶμα οὔτε αἷμα οὔτε ὀστέα οὔτε πάχος οὔτε ὑλικὸν εἶδος, ἀλλὰ μόνην ψυχὴν νοερὰν ἔνθεον, σώματος κεχωρισμένην“.

Denique ejusdem auctoris esse hunc sermonem cum Hodego conjicio ex hoc loco (col. 1173 C): „Εἰ δὲ ἀθελὴς ἐστιν ἡ παναχραντος τοῦ Κυρίου ψυχὴ, πρόδηλον, ὅτι ἀκουσίως δίκην ἀλόγου ὑπετάττετο τῷ Θεῷ Λόγῳ, ὡς Ἀπολινάριος ληρῳδεῖ“. Qui locus ad verbum consonat ei, qui habetur in Expositione fidei cap. I. Hod. col. 44 D: „Εἰ δὲ ἐστερεῖτο τῆς νοερᾶς θελήσεως ἡ τοῦ Κυρίου ψυχὴ, πρόδηλον λοιπὸν, ὅτι ἀκουσίως δίκην ἀλόγου ὑπεττάτετο τῷ Θεῷ Λόγῳ“.

Itaque ex his omnibus concludo, eundem esse auctorem hujus sermonis tertii atque Hodegi. At forsitan dicas, auctorem hujus sermonis diversum esse et solum his locis mentem atque adeo verba Hodegi auctoris usurpasse atque suis argumentis inseruisse. Sed, uti ex lectione apparet, totius hujus sermonis series atque contextus is est, ut omnia quasi ex proprio thesauro et mente deprompta videantur neque sit, cur aliena suis inseruisse auctorem existimemus. Recte igitur sermo hic tertius atque Hodegus ejusdem auctoris esse censentur, id quod etiam titulus exhibet: „Ἀναστασίου πρεσβυτέρου τοῦ ἐν τῷ Σινᾷ ὄρει λόγος γ΄“.

Jam vero videamus, an aliquid de Anastasio nostro ex hoc sermone eruere possimus. Ac comperimus quidem, Anastasium nostrum etiam post a. 700. in vivis fuisse, dum refert Deum ob sextam oecumenicam synodum sub Constantino Pogonato a. 680. habitam, per viginti annorum spatium [1]) salutem et pacem populis Christianis restituisse [2]).

Ex hoc loco colligitur, longissimam Anastasium vitam duxisse. Quum enim jam claruerit ante a. 640, quo tempore cum haereticis Alexandriae disputabat, necesse est, eum jam tunc magna auctoritate polluisse, etsi dicere non possumus, eum jam tunc sacerdotem fuisse. Ipse enim in disputatione sua se solum monachum profitetur. Apud Graecos autem jam pueros vel decem annorum monachos fieri potuisse notum est. Itaque si ponamus, eum circa a. 610. natum fuisse, sequitur, eum annum circiter nonagesimum attigisse. Longam autem Anastasii vitam argumento meo obstare non posse patet, praesertim quum idem ipse annus septingentesimus iterum iterumque in Quaestionibus et libris duodecim in Hexaemeron occurrat, uti suis locis videbimus.

Forsitan autem non abs re erit, quae auctor de Monotheleticae haeresis ortu atque damnatione narrat, ejus ipsius verbis huc allegare. Scribit itaque [3]):

„Non sunt loquelae neque sermones, quorum non audiantur voces: sed in omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum: eorum, inquam, Persarum Romanorumque certaminum, cum victoriosum Crucis tropaeum divino adjutorio cum Heraclio Imperatore Jerusalem reversum est. Hic vero Romani imperii eo tempore moderator Heraclius, cum post Chaldaeos Persasque superatos

---

[1]) ἐπὶ εἴκοσι χρόνους.

[2]) col. 1156 D. Vid. quae mox ex auctore ipso de Monotheletica haeresi allegantur, pag. 72.

[3]) col. 1154 sequ.

autem haec nonnulla fere ad verbum cum iis, quae legimus in Hodegi capite XIII. col. 224 et 225: „*Κατέλθωμεν καὶ ἐν τῷ ᾅδῃ, καὶ ἴδωμεν ἐκεῖ τὸν Χριστὸν, πῶς σκυλεύει τὸ δεσμωτήριον. Ἐρωτήσωμεν τὸν Ἀδὰμ, ἐρωτήσωμεν τὰ σώματα, καὶ τὰ στόματα τῶν ἀναστάντων ἁγίων, ὅπως εἴπωσιν ἡμῖν, πῶς ἑώρακαν ἐν τῷ ᾅδῃ Χριστόν· ποίῳ σώματι, ποίᾳ φύσει, ποίᾳ μορφῇ ἦλθε καὶ κατῆλθεν ἐν τοῖς καταχθονίοις; Πῶς ἐν ἴχνεσιν ἀβύσσου περιεπάτησε; Ποίᾳ φύσει ἠνοίγησαν φόβῳ πύλαι θανάτου; Ποίαν ἰδέαν ἰδόντες οἱ πυλωροὶ τοῦ ᾅδου ἔφριξαν; Ἆρα τὴν θείαν φύσιν ἑώρακαν γυμνήν; Ἄπαγε. Θεὸν γὰρ οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε. Ἀλλά τις ἄρα τὴν σάρκα τοῦ Δεσπότου ἐθεάσατο; Οὐδαμῶς. Αὕτη γὰρ ἔνθεος ἐν τῷ τάφῳ νεκρὰ καὶ ἀκίνητος ἔκειτο. Οὐκοῦν . . . . ἐν τῷ ᾅδῃ εἴδομεν τὸν Χριστὸν, καὶ οὐκ εἶχε οὔτε σῶμα οὔτε αἷμα οὔτε ὀστέα οὔτε πάχος οὔτε ὑλικὸν εἶδος, ἀλλὰ μόνην ψυχὴν νοερὰν ἔνθεον, σώματος κεχωρισμένην*“.

Denique ejusdem auctoris esse húnc sermonem cum Hodego conjicio ex hoc loco (col. 1173 C): „*Εἰ δὲ ἀθελὴς ἐστιν ἡ παναχραντος τοῦ Κυρίου ψυχὴ, πρόδηλον, ὅτι ἀκουσίως δικὴν ἀλόγου ὑπετάττετο τῷ Θεῷ Λόγῳ, ὡς Ἀπολινάριος ληρῳδεῖ*“. Qui locus ad verbum consonat ei, qui habetur in Expositione fidei cap. I. Hod. col. 44 D: „*Εἰ δὲ ἐστερεῖτο τῆς νοερᾶς θελήσεως ἡ τοῦ Κυρίου ψυχὴ, πρόδηλον λοιπὸν, ὅτι ἀκουσίως δικὴν ἀλόγου ὑπετάτετο τῷ Θεῷ Λόγῳ*“.

Itaque ex his omnibus concludo, eundem esse auctorem hujus sermonis tertii atque Hodegi. At forsitan dicas, auctorem hujus sermonis diversum esse et solum his locis mentem atque adeo verba Hodegi auctoris usurpasse atque suis argumentis inseruisse. Sed, uti ex lectione apparet, totius hujus sermonis series atque contextus is est, ut omnia quasi ex proprio thesauro et mente deprompta videantur neque sit, cur aliena suis inseruisse auctorem existimemus. Recte igitur sermo hic tertius atque Hodegus ejusdem auctoris esse censentur, id quod etiam titulus exhibet: „*Ἀναστασίου πρεσβυτέρου τοῦ ἐν τῷ Σινᾷ ὄρει λόγος γ′*“.

Jam vero videamus, an aliquid de Anastasio nostro ex hoc sermone eruere possimus. Ac comperimus quidem, Anastasium nostrum etiam post a. 700. in vivis fuisse, dum refert Deum ob sextam oecumenicam synodum sub Constantino Pogonato a. 680. habitam, per viginti annorum spatium [1]) salutem et pacem populis Christianis restituisse [2]).

Ex hoc loco colligitur, longissimam Anastasium vitam duxisse. Quum enim jam claruerit ante a. 640, quo tempore cum haereticis Alexandriae disputabat, necesse est, eum jam tunc magna auctoritate polluisse, etsi dicere non possumus, eum jam tunc sacerdotem fuisse. Ipse enim in disputatione sua se solum monachum profitetur. Apud Graecos autem jam pueros vel decem annorum monachos fieri potuisse notum est. Itaque si ponamus, eum circa a. 610. natum fuisse, sequitur, eum annum circiter nonagesimum attigisse. Longam autem Anastasii vitam argumento meo obstare non posse patet, praesertim quum idem ipse annus septingentesimus iterum iterumque in Quaestionibus et libris duodecim in Hexaemeron occurrat, uti suis locis videbimus.

Forsitan autem non abs re erit, quae auctor de Monotheleticae haeresis ortu atque damnatione narrat, ejus ipsius verbis huc allegare. Scribit itaque [3]):

„Non sunt loquelae neque sermones, quorum non audiantur voces: sed in omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum: eorum, inquam, Persarum Romanorumque certaminum, cum victoriosum Crucis tropaeum divino adjutorio cum Heraclio Imperatore Jerusalem reversum est. Hic vero Romani imperii eo tempore moderator Heraclius, cum post Chaldaeos Persasque superatos

---

[1]) ἐπὶ εἴκοσι χρόνους.

[2]) col. 1156 D. Vid. quae mox ex auctore ipso de Monotheletica haeresi allegantur, pag. 72.

[3]) col. 1154 sequ.

iter ad Antiochenorum civitatem instituisset, in Athanasium quendam incidit, odibilis Jacobitarum hierarchias patriarcham nuncupatum, hominem sermone promptum, et improbum nativa Syrorum calliditate. Cumque sibi invicem de duplicis Christi naturae fide communicassent sententias, id tandem pollicitus est imperator, si sibi morem gereret, sanctamque Chalcedonensem synodum susciperet, ipsum ejus sanctae catholicae Ecclesiae Antiochenae patriarcham fore se constiturum. Sive igitur simulatione, sive alio quovis modo suscepit synodum Athanasius, simulque duas in Christo unitas naturas confessus est. His ita compositis, ipse de operationibus et voluntatibus percontatur ab imperatore, unicamne tantum an duplices has pariter in Christo oporteat profiteri. Quaestionis novitate obstupefactus imperator (nunquam enim usque ad haec nostra tempore excitata fuerat), de his ad Martinum [1]) scribit papam Romanum, itidemque ad Sergium CP. episcopum. Atque papa quidem ostendit ei juxta SS. Patrum traditionem, ubi duae esse noscantur naturae, creata nimirum atque increata, ibi necesse esse pariter unamquamque naturales suas habere proprietates; duas, inquam, voluntates atque operationes: quorum namque voluntas operatioque una sit, horum pariter unicam omnino, non duplicem censendam esse naturam. Haec et hujusmodi erant Martini litterae.

Sergius vero CP., qui scilicet ex Syria traxerat genus, ut fertur, atque ex Jacobitis prognatis stirpe dimanabat, litteras ad Heraclium dedit in adversam Martino sententiam conscriptas, quibus unicam naturalem voluntatem operationemque in Christo confitebatur. Litteris ergo ab utroque acceptis imperator Sergii potius sententiae adhaesit, quam Athanasius gaudio elatus resupinis exceperat manibus, qui scilicet callidus norat, ibi omnino unicam naturam in-

---

[1]) vid. supra pag. 61.

telligi oportere, ubi unica esse operatio diceretur. Deinde Cyrus papa Alexandriam mittitur, qui et ipse inanem illam et aqua tinctam per Theodorum Pharanitem unionem, sive potius abolitionem fecit, atque unicam et ipsi scripserunt in Christo naturalem operationem. His igitur Antiochiae atque Alexandriae hanc sententiam sequentibus [1]), in magnam incidit Chalcedonensis synodus et catholica Ecclesia ignominiam. Jacobi namque sectatores in Syria et Theodosii discipuli Alexandriae in ipsius dedecus gloriabantur aientes: Non nos Chalcedoni, sed Chalcedon potius nobiscum convenit, quae videlicet ob unicam Christi operationem unicam quoque naturam ejus confessa est.

His auditis Heraclius erubuit neque tamen quae animo proposuerat repudiare noluit neque etiam contumeliam ferendam esse existimavit. Itaque veluti magnum aliquid facere excogitasset, illud quod edictum nuncupatur publicavit, quo continebatur, neque unicam deinceps, neque duplicem in Christo fas fore confiteri operationem. Quod cum ad Severi sectatorum notitiam pervenisset, per cauponas continuo atque per balnea catholicam sannis lacerare coeperunt Ecclesiam, dicentes: Non ita pridem Chalcedonenses Nestorii discipulos ad sobrietatem rediisse atque veritatem, conjunctos sibi in unius Christi naturae fide, ob unicam operationem; nunc vero quae recte instituta fuissent condemnantes, utramque sustulisse, quum neque unicam neque duplicem in Christo confiterentur.

Haec vero audiens animodvertensque Romanorum antistes, cum minime ferret adeo impudenter dedecore affectam

---

[1]) Lucem in Graecis desidero: τούτων δὴ λοιπὸν οὕτω κατὰ τῶν Ἀντιοχέων καὶ Ἀλεξανδρέων παρακολουθησάντων κ. τ. λ. Legi κατὰ τὴν Ἀντιοχέων καὶ Ἀλεξ. sc. πόλιν sive ἐκκλησίαν. cf. col. 937 B., ubi dicitur Olympiodorus ὁ τὴν Ἀλεξανδρέων καταφωτίσας. Forsitan autem melius legendum sit: τούτοις .... καὶ τῶν Ἀντ. καὶ Ἀλ. παρ. κτλ. sive tale quidquam.

Ecclesiam videre, complurium sanctorum episcoporum Romae synodum cogit, in qua ex SS. Patrum testimoniis, duas indivisas Christi proprietates, hoc est divinam et humanam ejus voluntatem atque operationem palam profitetur. Deinde decessit Heraclius: pellitur exilio Martinus ab Heraclii nepote [1]: statimque surrexit ex eremo Amalec [2], nos Christi populum percutiens.

Prima ea fuit terribilis atque insanabilis Romani exercitus clades; illa, inquam, ad Gabitham et Hirmucham et Dathemon sanguinis fusio; quam secutae sunt Palaestinorum et Caesareensium et Hierosolymorum captivitates et incensiones. Inde Aegypti pernicies et illae deinceps Mediterraneorum et Insularum et Romaniae universae captivitates insanabilesque vastationes contigerunt. Verum neque sic Romanorum principes et dominatores ad sanitatem redierunt: immo captis iis, qui in Romana synodo effulserant, linguas secando manusque abscindendo in ipsos animadverterunt. Sed quae nobis horum retributio facta est a Deo? Illa inquam in Phoenicia totalis pene Romanorum exercitus et classis pernicies et iterum deinceps omnis Christiani populi locorumque vastatio: quae non prius cessavit, quam Martini persecutor in Sicilia gladio peremptus est. Hujus autem filius Consantinus pius, oecumenica congregata synodo, sanctas conjunxit Ecclesias, divinam simul et humanam in Christo Deo nostro juxta SS. Patres confessus voluntatem atque operationem. Quae sancta synodus, veluti acceptabile sacrificium, et ut Aronis illud thymiama, a Deo excepta, *per viginti annorum* spatium cessare fecit gentis nostrae perniciem, gladiosque inimicorum in ipsos invicem convertit: terris requiem contulit, placidum fecit mare, captivitates

---

[1]) Constante imperatore, Heraclii successore.

[2]) ὁ ἐρημικὸς Ἀμαλὴκ. Sic vocari puto ab auctore Mohammetis sobolem, et alludi ad Exod. 17, 8 sequ. et Num. 14, 43—45.

cohibuit, universaeque Romaniae requiem, relaxationem, consolationem pacemque incredibilem comparavit."

Haec igitur auctor de ortu atque damnatione haeresis Monotheleticae. Hic mihi possit aliquis objicere: „Quomodo auctor, qui haeresis istius ortum tam diverse ab aliis fontibus narrat et Martinum Papam eodem tempore Pontificium solium tenentem facit quo regnabat Heraclius, idem esse potest atque Anastasius noster, Hodegi auctor, qui eo ipso tempore vixit?" Sed respondeo, Anastasium rebus, quas hic refert etsi tempore aequalem, tamen loco non omnibus aeque prope fuisse, immo in terris a bellicis Mohammedanorum tumultibus perturbatis atque a reliquo orbe terrarum quasi interclusis, ex quo fieri potuit, ut aliter res ad Anastasii aures deferrentur, ac re ipsa acciderent, id quod hic non est meum decernere. Quod autem ad Martinum ab Heraclio consulum attinet, animadvertendum est, homines Orientales Occidentalium rerum persaepe non ita guaros fuisse, et eundem ipsum Anastasium etiam supra [1]) in Hodego cit. S. Augustinum habere martyrem. Itaque hic Anastasii error is non videtur, qui caetera mea argumenta evertat.

---

[1]) pag. 80.

CAPUT IV.

DE QUÆSTIONIBUS 154.

Veniam ad *Quaestiones et Responsiones 154*, quae exstant in Edit. Mign. col. 311 et seqq. sub nomine Anastasii Sinaitae episcopi Antiocheni [1]. De quibus haec scribit Caveus [2]:

„Infinitum esset omnium de hoc opere sententias, objectiones, responsiones recensere. Paucis igitur me expediam. Vel Anastasii nostri [3] opus non est, vel insigniter interpolatum. Qu. enim 16. meminit Phocae tyranni imperium sibi arripientis; alibi etiam in ea citantur Maximus monachus (vid. qu. 1. 3. 4. 5. 6. 8. 9. 18. 154.), Nicephorus Patriarcha CP. (qu. 2. 57.), Olympiodorus (qu. 16.), Synodus sexta seu Trullana (qu. 64.), Joannes Moschus (qu. 60.) aliique Anastasio nostro juniores. Porro (qu. 117.) loca sancta Palaestinae orthodoxos Christianos per 700 annos tenuisse affirmat auctor. Sive igitur anni isti a Constantini imperio, sive ab ipso Christo initium ducant, id parum refert, Anastasius certe Antiochenus ejusmodi calculo uti non potuit. Quidquid sit, videntur mihi hae quaestiones esse cento primum ab Anastasio (Antiocheno) inchoatus, deinde ab

---

[1] In cod. Bavarico graeco 53. exstant Quaestiones 92 cum hoc titulo: „Ἀναστασίου ἀπόκρισις πρὸς τὰς ἐπενεχθείσας αὐτῷ ἐπερωτήσεις παρά τινων ὀρθοδόξων περὶ διαφόρων κεφαλαίων. Harum posteriores quatuor in editis non exstant, nihil tamen continent, quod ad rem refert, sicut nec reliquae. (cf. supra pag. 2. not.) Codex autem in fine Quaestionum est mutilus. Vid. append. hujus opusc.

[2] Cave p. 344.

[3] sc. Anastasii senioris episcopi Antiocheni, de quo agit loc. citato.

aliis variis locis ac temporibus auctus et absolutus. Hinc fit, ut in codicibus manuscriptis mire variet quaestionum numerus; nec ipse Gentianus Hervetus, qui eas primus edidit, plures quam 93 dederit et istas quidem Anastasio Nicaeno ascriptas."

Quae Cavei verba referens Oudinus eum graviter reprehendit, quod opus interpolatum esse dicat.[1]) Ipse itaque Oudinus Quaestiones et Responsiones has 154 spectare non posse judicat ad Anastasium I. et II., recte vero ad Anastasium IV. „Quoad primam partem hoc evidenter patere ex his omnibus, quae Caveus dixerit. Citari enim Joannem Moschum, qui anno 630. floruerit; Maximum, a. 662. die 13. Augusti mortuum; synodum sextam seu Trullanam a. 692. habitam, quoad can. 89; Nicephorum Patriarcham CP., a. 806 ad hanc sedem promotum atque a. 828. die 2. Junii mortuum; denique Olympiodorum, incertae aetatis auctorem, quem plurimi ad a. 900. vel serius collocent"[2]). Et haec quidem recte nisi quae de Olympiodoro scribit. Si enim est incertae aetatis scriptor, cur ad a. 900. vel etiam serius collocatur? Nimirum ne citari possit ab Anastasio nostro Sinaita[3]). Claruit autem certe ante Anastasium nostrum Sinaitam, ut patet ex libro VII. in Hexaemeron[4]), quem Anastasii nostri esse postea probabo. Ibi Olympiodorum dicit πολὺν τὰ θεῖα, et paulo post: „ἀνανεύει δὲ ὁ πολλάκις προῤῥηθεὶς φιλόσοφος ὁ τὴν Ἀλεξανδρέων τοῖς λόγοις καταφωτίσας, ὡς ταύτης διάκονος[5]). Immo De Magistris: Acta

---

[1]) Oudin. tom. II. col. 565. [2]) ibid. col. 566.

[3]) Sane Oudinus ipse de Olympiodoro nil certi se tradere posse fatetur, dum dicit tom. II. col. 513 ad a. 990: „Olympiodorus monachus Graecus, quem nonnulli diaconum Ecclesiae CP., alii autem Alexandrinae faciunt; nonnulli unicum, alii duplicem volunt; ... prudenter quidem a Cavo ad a. 990 assignatur in Historia rei litterariae p. 592, donec exurgat, qui certiora doceat".

[4]) col. 937. [5]) cf. col. 1190.

martyrum ad Ostia Tiberina p. 286. 287, (Migne Patr. gr. t. 93 col. 9—12) scholium invenit antiquum, in quo dicitur: *Ὀλυμπιοδώρου διακόνου Ἀλεξανδρείας, χειροτονίας Ἰωάννου ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας Νικιώτου.* Joannes autem II. Niciota patriarchatum Alexandrinum tenuit ab a. 507. usque ad a. 518. vel, ut alii volunt 516. Hinc Olympiodorus, ut qui sit ab illo ordinatus, saeculo sexto assignandus est. Sed haec de Olympiodoro. De caeteris vero Oudini rationibus postea.

Nunc quae mihi de Quaestionibus his 154 dicenda videantur, breviter exponam.

Atque non omnes quaestiones prout exstant ejusdem auctoris esse, illico apparet ex quaest. 39. collata cum quaest. 112 [1]). Praeterea multae quaestiones in ipsis titulis diversis auctoribus attribuuntur.

Attamen nonnullae quaestiones inter se aliquantum cohaerere videntur, ut facile patebit, si forte legeris primam et tertiam ad 22. usque, deinde qu. 89.[2]) usque ad qu. 96., ita ut ejusdem auctoris esse judicari possint. Insuper posteriorum quaestionum nonnullae breviores, neque solum eae, quae in Edit. Mign. extra ordinem inscribuntur neque

---

[1]) Nam qu. 39 est: „πῶς νοητέον τὰ κατὰ τὴν ἐγγαστρίμυθον"; et responsio: „τινές φασιν, ἀληθῶς ἀνενηνοχέναι τὸν Σαμουήλ· τινὲς δὲ τοῦτον τὸν λόγον ἀνατρέψαντες δαίμονά τινα λαοπλάνον ἔφασαν δεῖξαι τὸ σχῆμα τοῦ Σαμουὴλ καὶ εἰπεῖν, ἃ πολλάκις ἀκήκοε τοῦ Σαμουὴλ εἰρηκότος, ἀγνοῆσαι δὲ τὸν χρόνον τῆς τοῦ Σαοὺλ τελευτῆς. Ἐγὼ δὲ τὸ μὲν πρῶτον ἀνόσιον ἡγοῦμαι. Οὐ πείθομαι γὰρ τὰς νεκύας οὐδὲ τὴν τυχοῦσαν ἄγειν ψυχήν, μήτοιγε προφήτου καὶ τοσούτου προφήτου.... Δῆλον τοίνυν ὡς αὐτὸς ὁ Θεὸς σχηματίσας, ὡς ἠθέλησε, τὸ εἶδος τοῦ Σαμουὴλ ἐξενήνοχε τὴν ἀπόφασιν κ. τ. λ." Contra vero qu. 112 col. 764: „Ἆρα ἀληθὲς ὅτι τὸν Σαμουὴλ ἡ ἐγγαστρίμυθος ἀνήγαγεν ἐπὶ τοῦ Σαούλ"; Responsio: „Ναί, ὑπὸ τὴν χεῖρα τοῦ διαβόλου ὑπῆρχον πᾶσαι αἱ ψυχαὶ τῶν ἁγίων καὶ τῶν ἁμαρτώλων, ἕως οὗ κατελθὼν ἐν τῷ ᾅδῃ ὁ Χριστὸς εἶπε τοῖς ἐν δεσμοῖς, Ἐξέλθετε κ. τ. λ." Qu. 39 in cod Bav. re non differt, qu. vero 112. in eo non exstat.

[2]) cf. tamen infra inter quaestiones selectas.

numerantur, sed etiam numeratae [1]), cum prioribus quaestionibus sive integrae sive magna ex parte saepe ad verbum consonant, ita ut excerptae prorsus videantur. Quibus tamen non adeo insisto. Magis ut uni eidemque auctori plures quaestiones attribuam, moveor quaestione 127 [2]), quae incipit: „Dixisti supra.... sed causam non indicasti“, quaeque aperte revocat ad quaest. 96. Dubitandum ergo non est, quin nonnullae quaestiones ad unum eundemque auctorem spectent; num vero ad Anastasium nostrum Hodegi auctorem inquiramus.

Ac in prima quidem qaestione (col. 329) eandem definitionem hominis Christiani reperi, quae habetur in definitionibus Hodegi (cap. II.) col. 77 A: „*Χριστιανὸς γάρ ἐστιν ἀληθινὸς οἶκος Χριστοῦ, δι᾽ ἔργων ἀγαθῶν καὶ δογμάτων εὐσεβῶν συνιστάμενος*“. Solummodo in Hodego additur „*λογικός*“ in hunc modum: „*ἀληθινὸς οἶκος λογικὸς κ. τ. λ.*“

Secundo notanda est quaest. 46, quae sic sonat (col. 597): „*Πῶς ὁ Θεὸς, διὰ τοῦ νόμου τῷ Ἰσραὴλ τὰς θυσίας προσφέρειν κελεύσας, διὰ Ἱερεμίου φησί.* „„*Οὐκ ἐλάλησα πρὸς πατέρας ὑμῶν περὶ θυσιῶν οὐδὲ περὶ ὁλοκαυτωμάτων ἐνετειλάμην αὐτοῖς;*““ Haec ipsa autem quaestio in Hodego cap. 22. col. 285 tertio loco inter eas numeratur, quas fidei Christianae adversarii atque desertores [3]) ipsi auctori in Oriente proposuissent, his verbis: „*γ΄. Πάλιν δὲ ἐντειλάμενος τὸ πολύκρεων ἐκεῖνο Λευιτικὸν, ὕστερόν φησιν ὁ Θεὸς διὰ Ἡσαΐου*

---

[1]) ut qu. 115 cum qu. 7 col. 383 B, qu. 125 cum qu. 20 col. 521 BC, qu. 132 cum qu. 15 col. 468.

[2]) col. 776: „Εἶπας ἐν τῇ προλαβούσῃ περὶ τῶν στοιχείων φυσιολογίᾳ ὅτι πολλάκις ἐκ φυσικῆς τινος ἀκολουθίας καὶ χυμῶν αἰτίας γίνονταί τινες μὲν γυναῖκες ἄτεκνοι, τινὲς δὲ εὔτεκνοι, ἄλλαι δὲ πάλιν ὀλιγότεκνοι· τὸν δὲ τρόπον τῆς αἰτίας οὐκ ἐσήμανας“. Dixit autem haec in qu. 96. passim, praecipue col. 748 A, 744 C, 750 C.

[3]) „οἱ νῦν τοῦ Χριστιανισμοῦ ἀποστάντες.“

καὶ Ἱερεμίου, ὅτι οὐδὲν περὶ θυσιῶν ἐνετείλατο τῷ Ἰσραὴλ οὔτε περὶ τῶν ὁλοκαυτωμάτων".

Deinde initium responsionis ad quaest. 89.: „*Ὅτι μὲν οὐ δεῖ τὰ σεσιωπημένα τῇ θείᾳ Γραφῇ ἐρευνᾷν, πρόδηλον*" consonat ei loco progymnasiae Hodegi cap. I. col. 40 B, ubi dicitur: „*ὅτι οὐ δεῖ τὰ βαθύτερα ἡμῶν ψηλαφᾷν οὐδὲ τὰ σεσιωπημένα τῇ θείᾳ Γραφῇ*". In eadem quaestione legis col. 717 B: „*(ὥσπερ) τεμνομένης τῆς γλώσσης οὐκ ἔτι ὁ ἄνθρωπος λαλεῖν δύναται, ὡσαύτως καὶ χωριζομένης τῆς ψυχῆς ἐξ ὅλου τοῦ σώματος οὐ λαλεῖν, οὐ μιμνήσκεσθαι, οὐ θυμοῦσθαι, οὐ καθορᾶν· ἀλλ' ἐν συννοίᾳ τινὶ καθ' ἑαυτὴν ὑπάρχει ἀθάνατος ἡ ψυχή. . . . Ἀλλὰ ταῦτα μὲν εἴρηται περὶ τῶν ἐν ἁμαρτίαις τελευτησάντων. Ἐπεὶ αἱ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον κτησάμεναι ψυχαί, ὡσανεὶ σῶμα καὶ ὄργανον αὐτῷ γενόμεναι, ἐμοὶ δοκεῖ, ὅτι διὰ τῆς ἐλλάμψεως αὐτοῦ καὶ μετὰ θάνατον εὐφραίνονται καὶ τῷ Θεῷ καὶ Λόγω νοερῶς δοξολογοῦσι καὶ ὑπὲρ ἀλλήλων* [1]) *πρεσβεύουσιν, ὡς ἐκ τῶν Γραφῶν μανθάνομεν*". Atqui eadem fere habentur in sermone tertio col. 1164 B: „*Ἐπεὶ πῶς καὶ χωριζομένη τοῦ σώματος ἐν τῷ θανάτῳ συνίσταται ἡ λογικὴ ψυχή, εἰ μὴ διὰ τῆς νοερᾶς αὐτῆς καὶ ζωτικῆς καὶ ἀειζώου ἐνεργείας; καὶ μάλιστα αἱ τῶν δικαίων ψυχαὶ πῶς νῦν Θεὸν αἰνοῦσι; κατὰ ποίαν ἐνέργειαν τὴν παρ' αὐτοῦ εἰσδέχονται ἔλλαμψιν; πῶς ὑπὲρ κόσμου πρεσβεύουσιν;*"

Ex his omnibus conjicere licet, ejusdem auctoris esse hanc quaestionem 89 et alias quasdam cum sermone tertio atque Hodego. Addo etiam alia in his quaestionibus eundem sensum redolere, inprimis, quae auctor tradit de animae origine atque natura [2]). Id quod eo majoris momenti arbitrandum videtur, quod auctor in fine qu. 91 col. 725 A dicit, se haec de anima non dogmatice, sed amice tradere (*οὐ*

---

[1]) an potius ἀνθρώπων?

[2]) cf. col. 1165 B et qu. 91 col. 724 C et in definitionibus Hod. cap. II. col. 69 D. et 72 D cum qu. 89.

δογματικῶς, ἀλλ' ἀγαπητικῶς), ne forte, quae consentiant, de industria exquisita esse censeas. Sed et magistrum aliquem fuisse hujus quaestionis 91. auctorem, ex iis licet intelligere, quae in fine ejusdem quaestionis subjungit [1]: „*Τὰ δὲ λοιπὰ δυσωποῦμεν τοὺς ἐν Χριστῷ ἀδελφούς, καὶ διδασκάλους τοὺς καθ' ἡμᾶς διορθοῦντας, ἀναπληρῶσαι περὶ τῶν ψυχῶν*“ [2]). Ergo etiam ipsum fuisse *διδάσκαλον* concludas.

Quae omnia sane Anastasio nostro Sinaitae et Hodegi auctori quam maxime conveniunt.

Denique notanda mihi visa est quaest. 126 col. 776, quae haec est: „*Θέλουσιν εἰπεῖν τινες, ὅτι διὰ τὸ μὴ προσκυνῆσαι τὸν ἄνθρωπον ἐξέπεσεν ὁ Σατανᾶς;*“ et responsio: „*Ἑλλήνων καὶ Ἀράβων εἰσὶν οἱ τοιοῦτοι μῦθοι· καθὼς γὰρ ἐκ τῶν προφητῶν ἔστι μαθεῖν, καὶ μάλιστα παρὰ τοῦ μεγάλου Ἰεζεκιὴλ, διὰ τὴν ὑπερηφανίαν αὐτοῦ ἐξεῤῥίφη ὁ Σατανᾶς πρὸ τοῦ γενέσθαι τὸν Ἀδάμ. Δημιουργοῦντος γὰρ* [3]) *τοῦ Θεοῦ ταύτην τὴν ὁρωμένην κτίσιν, ἐνόμισεν ὁ διάβολος, ὅτι αὐτὸν καθίστησι βασιλέα αὐτῆς. Ὅτε οὖν εἶδεν, ὅτι ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν Ἀδὰμ καὶ κατέστησεν αὐτὸν ἐπὶ τὰ ἔργα τῶν χειρῶν αὐτοῦ, καὶ πάντα ὑπέταξεν ὑποκάτω τῶν ποδῶν αὐτοῦ, τότε ὡπλίσθη κατ' αὐτοῦ καὶ ἠπάτησεν αὐτόν*“. Quibus conferas velim, quae dicuntur in Hodeg. cap. 4. col. 93 C: „*Ἐκ τῶν ἀσωμάτων ταγμάτων ταξίαρχος εἷς ἀλαζονευθεὶς*

---

[1]) col. 725 A.

[2]) Similia monentis verba legis in fine quaest. 96 col. 749: „Πλὴν οὐχ ὁριστικόν, οὐδὲ ἐριστικόν, ἀλλὰ γνωμικὸν καὶ εἰκαστικὸν εἰρήκαμεν, δυσωποῦντες τοὺς γνωστικωτέρους, συγγνώμην διδόντας, καὶ ἀναπληροῦντας ἡμῶν ὑστερήματα.“ cf. praefationem Hodegi supra pag. 46 et Hodegi cap. 24. col. 309: „Συγγνώμην αἰτοῦμαι παρὰ τῶν φιλοπόνων. Ἐκ μέρους γὰρ γινώσκομεν, ὡς ὁ Παῦλος βοᾷ, καὶ ἐκ μέρους νοοῦμεν καὶ ἐκ μέρους λαμβάνομεν καὶ ἐκ μέρους δογματίζομεν· ὅσον γὰρ ἐρευνᾶται τὸ Θεῖον, τοσοῦτον ἐπὶ πλέον ἀγνοεῖται. Οὔτε γὰρ αὐτοὶ οἱ ἅγιοι ἄγγελοι τελείως τὰ περὶ Θεοῦ ἐπίστανται“.

[3]) τὸ γάρ non ita convenit. Loco citando Hod. habes οὖν.

κατὰ τοῦ Δημιούργου, ὥς φησι ὁ Ἡσαΐας [1]) καὶ Ἰεζεκιὴλ [2]) οἱ προφῆται, ἀπεῤῥίφη καὶ ἐξέπεσε σὺν τῷ τάγματι αὐτοῦ, ὁ καλούμενος νῦν διάβολος, καὶ οἱ δαίμονες οἱ σὺν αὐτῷ. Δημιουργοῦντος οὖν τοῦ Θεοῦ τὸν ὁρώμενον κόσμον, λέγω δὴ τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν καὶ τὰ ἐν αὐτῇ, ἐνόμιζεν ὁ διάβολος, ὥς φησί τις τῶν διδασκάλων, ὅτι αὐτὸν μέλλει καθιστᾶν ὁ Θεὸς βασιλέα καὶ κύριον τῆς ὁρατῆς κτίσεως. Ὅτε δὲ εἶδε τὸν Ἀδαμ γεγονότα καὶ κατασταθέντα ὑπὸ τοῦ Θεοῦ δεσπόζειν τῶν ἐπὶ τῆς γῆς, διαπονηθεὶς καὶ φθονήσας τῷ ἀνθρώπῳ ὁ πονηρὸς ἠπάτησεν αὐτὸν διὰ τῆς Εὔας καὶ τοῦ ξύλου κ. τ. λ."

Ex his omnibus, quae hucusque attuli, recte concludendum videtur, nonnullas quaestiones Anastasio nostro Sinaitae jure attribui, praesertim eas, quas allegavi. Accedit quod Fabricio teste [3]) „sub Sinaitae nomine quaestiones diserte laudandur a Philippo solitario, qui a. 1105. scripsit, in dioptra fidei Christianae ad Callinicum monachum lib. IV. p. 150. Producturus enim (Fabricii sunt verba) quaestionem, quae in hisce (impressis) est numero 95, „ „Fidelem, inquit, et Deo afflatum testem dabo nomine Anastasium, cognomento Sinaitam, docentem et scribentem clare super his, quae interrogatus fuerat" ". Quaestio autem ista 95. aliis etiam compluribus cohaeret, ut supra dixi [4]).

Certe Anastasio nostro etiam tempus convenit, quo quaestiones plerasque scriptas esse judicandum est. Nam in nulla quaestione quisquam junior citatur saeculo septimo, excepto solo Nicephoro Patriarcha CP. contra Iconomachos, qui bis tantum citatur in quaest. 2. et 57. Nam etiam Olympiodorum, qu. 16 citatum, saeculo sexto vixisse supra [5]) ostendi. Solae igitur quaestiones 2. et 57. per se ad posteriorem auctorem spectant, saltem quoad Nicephorum

---

[1]) Is. 14, 12 seqq. [2]) Ezech. cap. 28.
[3]) vid. Notitiam ex Fabricio in Edit. Mign. col. 15 et 16.
[4]) pag. 76. [5]) ibid.

citatum, item forsitan qu. 64., si ex eadem de tribus Quadragesimis servandis doctrina atque iisdem verbis non paucis recte Oudinus conclusit, eam ejusdem auctoris esse cum Tractatu de tribus Quadragesimis [1]), qui cum septimam synodum memoret, sane recentioris alicujus fetus est. Reliquae autem quaestiones tempori Anastasii nostri conveniunt, ita quidem ut nonnullae quaestiones scriptorem saeculo septimo priorum penitus excludant neque solum quoad S. Maximum aliisque saeculo sexto juniores citatos [2]), sed etiam quoad eas ipsas responsionum partes, quae quasi ex propria mente depromptae scriptoribus citatis praeponuntur. Atque, ut exempla proferam, qu. 16. narrat [3]), monachum quendam CP. cum Deo in simplicitate disceptasse, quod Phocam [4]) tyrannum imperatorem fecisset, sed a Deo responsum accepisse, ideo factum, quod Deus nequiorem invenisset. Deinde narrat qu. 18. [5]) Mauritium Imperatorem [6]), cum a Deo petivisset, ut in hoc mundo poenas lueret pro peccatis suis, vidisse in somnis quendam illustrem regem, jubentem se tradi Phocae militi, id quod postea acciderit. Tum qu. 94. Cyprum captam allegat [7]). Cyprus autem saepius a Saracenis expugnabatur, praecipue annis 647 vel 648, et 806 vel 807 [8]). Accedit, quod auctor qu. 96. testatur,

---

[1]) vid. infra cap. VI. 6.

[2]) Citatur autem S. Maximus plerumque ita apte, ut a posteriore manu eum interpolatum esse difficile credam. Exempla sunt qu. 8 et 9.

[3]) col. 476. [4]) regn. ab a. 602—610.

[5]) col. 501 D. [6]) regn. ab a. 582—602.

[7]) col. 732 et 733: „Καὶ γοῦν πρὸ ὀλίγου χρόνου τῆς ἁλώσεως Κύπρου παραγενόμενός τις φιλόσοφος καὶ ἰατρὸς σοφιστὴς ἐν τῷ μαρτυρίῳ τοῦ ἁγίου Ἐπιφανίου, καὶ θεωρήσας τὸ πλῆθος τῶν πασχόντων ἔλεγε· Δύνασθε τῇ βοηθείᾳ τοῦ Θεοῦ διὰ διαίτης τινὸς καὶ διά τινων καθάρσεων καὶ ἀφαιμάξεων ἰάσασθαι, καὶ δὴ ματὰ κέλευσιν τοῦ ἀρχιεπισκόπου ἐπιχειρήσας τοὺς πλείους ἰάσατο.“

[8]) cf. notam ad hunc locum in Edit Mign.; Damberger, Histor. synchr. tom. II. p. 32, 501; tom. III. p. 24, 791; Tabul. chronol. ad

se ipsum, quum non ita pridem ad mare mortuum esset, ibi captivos Cyprios vidisse[1]). Quae omnia sane optime quadrant in Anastasium nostrum, quem saeculo septimo et etiam ultra claruisse vidimus[2]), neque est, cur eo posteriorem auctorem statuamus, puta post recentiorem aliquam Cypri expugnationem, quam primam a. 647 vel 648 factam, praesertim quum ipsa quaestio 96. maxime cohaereat quaestioni 95., quam a Philippo solitario Anastasio Sinaitae attribui Fabricius supra testatus est.

Denique in qu. 123.[3]) auctor memorat captivitatem (*αἰχμαλωσίαν*), in qua ipsum quoque constitutum esse ex ejus verbis conjicio. Dicit enim (col. 773): *ἐφ᾽ ἑκάστης ἁμαρτίας ἔστι κατανοῆσαι πολλὰς διαφοράς. Καὶ γὰρ ἄλλην συγγνώμην εἶχον αἱ καλλωπιζόμεναι καὶ κοσμούμεναι γυναῖκες ἐν ἰδίᾳ χώρᾳ ὑπὲρ τῆς τῦν ἐν μέσῳ τῆς αἰχμαλωσίας τῶν ἀδελφῶν αὐτῶν σιδηροφορουσῶν, αὗται ἐνώπιον αὐτῶν χρυσοφοροῦσαι καὶ μὴ αἰσχυνόμεναι. Καὶ πᾶσα δὲ ἄλλη ἁμαρτία καὶ σπατάλη καὶ τρυφὴ, ἣν ποιοῦμεν ἐν μέσῳ τῆς αἰχμαλωσίας ὄντες, χαλεπωτέρα ἐστὶν ὑπὲρ τῆς ἀνομίας τῶν ἐν ἀνέσει ὄντων καὶ ἁμαρτανόντων*". Puto autem, his verbis respicere

Histor. universam, quae in Anglia prodiit, in versione German. tom. 18. Halae 1754. ad a. 648 et 806; cf. etiam supra pag. 72.

[1]) col. 745 A: „Καὶ γοῦν πρὸ ὀλίγων χρόνων παραγενόμενος εἰς τὴν νεκρὰν θάλασσαν εἰς τὰ μέρη Ζωηρῶν καὶ Τετραπυρίας, ἔνθα χαλεποί τινες καὶ φθοροποιοὶ καὶ καυσώδεις καὶ σηπτικοὶ καθ᾽ ὁμοιότητα Κύπρου τυγχάνουσι οἱ ἀέρες, εὗρον πάντας τοὺς αἰχμαλώτους τῶν κατὰ σπορῶν τοῦ δημοσίου Κυπρίους τυγχάνοντας· κἀμοῦ θαυμάσαντος καὶ τὴν αἰτίαν ἐρωτήσαντος, οἱ τὰ αὐτόθι διοικήσαντες, ταύτην πρός με τὴν ἀπόκρισιν δεδώκασιν, ὅτι οὐ προσδέχονται οἱ ἐνταῦθα ἀέρες ἕτερα σώματα, εἰ μὴ τὰ ἀπὸ Κύπρου. Καὶ γὰρ πολλάκις, φασὶ, πεμφθέντες ὧδε ἐκ διαφόρων χωρῶν αἰχμάλωτοι ἐντὸς ὀλίγου χρόνου ἐφθάρησαν καὶ ἀπέθανον."

[2]) pag. 69.

[3]) Qu. 123. est: „Ἐπειδὴ ὁρῶμέν τινας καὶ ἐν αἰχμαλωσίᾳ ὑπαρχούσας δούλας παρεξεργομένας, τί χρὴ περὶ αὐτῶν λέγειν;".

auctorem ad Saracenorum sive Mohammedanorum ditionem, quam Christianis fuisse servitutem jugumque gravissimum nemo est qui nesciat. Huc eodem spectare mihi videntur quaest. 115. [1]) haec verba (col. 768): „*ἐπειδὴ εἰς ἄκραν ταλαιπωρίαν κατήγησαν τὰ καθ' ἡμᾶς*“, et qu. 133. hic locus (col. 785): „*Ποίαν ἀπολογίαν ἔχομεν ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, καὶ μάλιστα ἡ παροῦσα γενεὰ ἐν τοιαύτῃ ἀνάγκῃ καὶ περιστάσει ὁρῶντες τοὺς ἀδελφοὺς καὶ ὁμοπίστους γυμνότητι καὶ καμάτῳ καὶ κόπῳ; Ἠιχμαλωτίσθη μὲν γάρ ποτε καὶ Ἰσραήλ, ἀλλ' οὐκ εἰς ἐρήμους κατεδικάσθη, ἀλλ' ἐν πόλεσι καὶ λαοῖς*“ [2]). Quibus verbis indicat, quantum interfuerint Christianorum, qui tunc erant, et pristina Judaicae gentis captivitas.

Ex omnibus, quae hucusque de auctoris tempore allegavi, vel facile intelligi licet, plerasque quaestiones Anastasio nostro Sinaitae optime convenire. Quae autem indubie ad Anastasium meum spectare mihi videtur, est quaestio 117. Priusquam autem de ea ipsa disseram, pauca de „Quaestionibus ad Antiochum“ praemittam.

Exstant enim sub nomine S. Athanasii Quaestiones 137 ad Antiochum [3]), quarum complures maximam cum his nostris quaestionibus prae se ferunt similitudinem. Hae igitur

---

[1]) Qu. 115. haec est: „Ἆρα ἀπαιτεῖται Χριστιανὸς ἐν ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἐν ᾗ μέλλει μεταλαμβάνειν παραφυλάξασθαι ἐκ τῆς ἰδίας γυναικός;“ et responsio: „Ὅτε ἔμελλεν ὁ Δαβὶδ καὶ οἱ σὺν αὐτῷ ἐσθίειν τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως, οἵτινες ὑπῆρχον προτύπωσις τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ, τοῦτο εὐθὺς ἠρώτησεν Ἀβιάθαρ ὁ ἀρχιερεὺς τὸν Δαβὶδ λέγων; „Εἰ καθαροί εἰσιν ἀπὸ κοίτης γυναικός“; καὶ ὅτε ἔγνω ὅτι ναί, τότε δέδωκεν αὐτοῖς τοὺς ἄρτους. Et hucusque ad verbum consonat cum qu. 7. col. 388 B. Deinde vero prosequitur: „Ὅμως ἐπειδὴ εἰς ἄκραν ταλαιπωρίαν κατήγησαν τὰ καθ' ἡμᾶς, εἰ μὲν ἀπὸ ὁδοῦ τινος καὶ ξένης ἐλήλυθεν, ἴσως συγγνώμης τινός, ἑαυτὸν κατακρίνων ἐπὶ τῷ συνδυασμῷ, ἀξιωθήσεται, ἐν τοῖς λοιποῖς ἑαυτὸν διορθούμενος“.

[2]) Reliqua vid. infra pag. 100.

[3]) Vid. opp. Athanasii, Paris 1698 tom. II. p. 268 seqq.

Quaestiones ad Antiochum, prout exstant, opus genuinum S. Athanasii communiter minime censentur, quin tamen infitias eundum putem, S. Athanasium re vera Quaestiones et Responsiones quasdam scripsisse. Certe earum, quae exhibentur, quaestio 137. et ea quidem ultima, quae est longe fusior caeteris, S. Athanasio non videtur indigna, et S. Athanasii esse conjicitur ex eo, quod contra Judaeos adstruens, Christum jam venisse, et vaticinium Danielis [1] allegans, dicit, „a Daniele usque ad suum tempus esse *annos plus quam octingentos*" [2]), id quod bene quadrat in S. Athanasium, in recentiorem non item. Arguendus itaque Oudinus etiam in hoc videtur, quod indiscriminatim dicit, has Quaestiones ad Antiochum „saeculo nono antiquiores non esse [3]. Nam saeculi noni scriptor non dixisset, a Daniele usque ad suum tempus annos esse plusquam octingentos, quum essent plus quam mille et trecenti. Ergo S. Athanasii quaestiones exstare poterant, quae citarentur in nostris quaestionibus simul ac colligerentur in his Quaestionibus 137. ad Antiochum [4].

Concedendum tamen, earum Quaestionum ad Antiochum plerasque nostris quaestionibus recentiores esse, praesertim eas, quae nostris quaestionibus simile quid tractant, ita ut saepe ex nostris excerptae videantur, sed non semper ita apte. Atque id quidem cuivis facile patebit, qui eas nostris contulerit. Nam et quaestiones nostrae plerumque multo rectiores et saniores inveniuntur, et in Quaestionibus ad Antiochum saepe aliquid mutatum aut additum est, quod minus convenire seu alias ad recentiorem aetatem clamare videatur. Atque id inprimis apparere puto ex ipsa nostra,

---

[1]) Dan. 9, 24 seqq. [2]) l. c. pag. 301.

[3]) Oudin. tom. II. col. 566.

[4]) Quae autem in nostris quaestionibus 8. et 9. citantur, habentur in Quaestionibus ad Antiochum 107. et 68.

quam diximus, quaest. 117., collata cum quaest. 44. ad Antiochum.

Quaestio autem 117. haec est (col. 768 et 769) [1]: „Εἶτα οὐκ ἔστιν ὅλως μέθοδός τις, δι' ἧς δυνήσεται ἰδιώτης ἀντειπεῖν τῷ αἱρετικῷ; et Responsio: „Περὶ τούτων ἄκουσόν τινος διαλέξεως συντόμου γενομένης ἐν Ἀλεξανδρείᾳ πρὸ ὀλίγου χρόνου. Συναθροισθέντες γὰρ οἱ ἀπὸ Σεβήρου καὶ Γαϊανοῦ καὶ Βαρσανουφίου πρός τινα ἰδιώτην μὲν τῷ λόγῳ, φρόνιμον δὲ ἐν Κυρίῳ, τὴν πίστιν τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας κηρύττοντα, διεμάχοντο πρὸς αὐτόν. Ἐὰν ἔχῃ ὁ βασιλεὺς ταμεῖα, καὶ οἴκους τιμίους, ἔνθα διαπράττονται τὰ ἀναγκαῖα μυστήρια αὐτοῦ, τίνι πιστεύει, αὐτοῖς τοῖς πιστοῖς ἀνθρώποις αὐτοῦ, ἢ τοῖς ἀπίστοις; Λέγουσι πρὸς αὐτὸν ἐκεῖνοι· Πρόδηλον ὅτι τοῖς πιστωτέροις ὅλων τῶν ἀνθρώπων αὐτοῦ πιστεύει τοὺς τοιούτους οἴκους ὁ βασιλεύς. Τότε ἀποκριθεὶς ὁ ορθόδοξος, εἶπε πρὸς αὐτούς· Ὥστε μάθετε, ὅτι οὐκ ἔστιν ἐπὶ γῆς πίστις ὀρθόδοξος, εἰ μὴ τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας. Καὶ διὰ τοῦτο ἐνεπίστευσεν ἡμῖν ὁ Θεὸς πάντας τοὺς ἁγίους καὶ ἀναγκαίους οἴκους αὐτοῦ, ἐν οἷς ἐπιδημήσας τὰ μυστήρια αὐτοῦ πεποίηκε· τουτέστι τὴν Ναζαρὲτ, τὸ Ταβὼρ τὴν Βηθλεὲμ, τὸν Ἰορδάνην, τὴν Σιὼν, τὸ Γολγοθᾷ, τὴν Ἀνάστασιν, καὶ οὐ μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸ Σινᾶ, καὶ ἁπλῶς πάντας τοὺς ἄλλους τόπους τῆς καινῆς καὶ τῆς παλαιᾶς, οἳ τῆς καινῆς καὶ καθολικῆς Ἐκκλησίας κατέχομεν. Ἐὰν οὖν κακόδοξοί ἐσμεν, ὑμεῖς ὀρθόδοξοι ὑπάρχετε, οὐ καλῶς ἐποίησεν ὁ Θεὸς ἡμῖν πιστεύσας τοὺς ἁγίους τόπους αὐτοῦ. Κἂν εἴπετε, ὅτι χειρὶ βασιλικῇ καὶ τυραννικῇ τούτους κατέχομεν, ἐλέγχεσθε ψευδόμενοι. Ἰδοὺ γὰρ βαρβάρων κρατούντων τὴν χώραν τῶν ἁγίων τοπῶν, οὐκ ἐπῆρεν αὐτοὺς ἐξ ἡμῶν ὁ Θεός. Εἰ δὲ καὶ, ὡς εἰκὸς, δόξετε λέγειν, ὅτι ἐκράτησάν ποτε οἱ Ἀρειανοὶ πρὸ ὀλίγων χρόνων τοὺς ἁγίους τόπους, ἰδοὺ ἀληθῶς ἐκεῖνοι διὰ χειρὸς βασιλικῆς καὶ τυραννίδος ἥρπασαν τοὺς ἁγίους τόπους, ἀλλ' οὐδὲν ἴσχυσαν· εὐθέως γὰρ πάλιν ὁ Θεὸς ἡμῖν

[1]) In cod. Bav. non exstat.

τοῖς ὀρθοδόξοις παρέδωκεν αὐτούς. Ἰδοὺ λοιπὸν ἑπτακόσιοι χρόνοι, καὶ ταῦτα ἀκούσαντες οἱ αἱρετικοὶ, αἰσχυνθέντες ἀνεχώρησαν".

Contra quaestio 44. ad Antiochum [1]): „Ποίῳ δὲ τρόπῳ πεισόμεθα τὸν ἰδιώτην καὶ βάρβαρον, ὅτι ὑπὲρ πάσας τὰς αἱρέσεις ἡ καθολικὴ Ἐκκλησία τὴν ὀρθὴν πίστιν ἔχει καὶ οὐ σφάλλεται;" et Responsio: „Οἱ μὴ δυνάμενοι γραφῶν τε καὶ δογμάτων ἀκρίβειαν καὶ βάθος ἀκοῦσαι, ἐντεῦθεν τὸ μόνον καὶ εὐσεβὲς τῆς καθολικῆς Χριστοῦ Ἐκκλησίας πιστωθῆναι ὀφείλουσιν· λέγω δὲ, ἐκ τοῦ πάντας τοὺς σωτηρίους καὶ τιμίους τῶν Χριστοῦ παθημάτων τόπους, τῇ καθολικῇ καὶ ὀρθοδόξῳ ἡμῶν πίστει καὶ Ἐκκλησίᾳ ὑπὸ Θεοῦ δωρηθῆναι καὶ πιστευθῆναι· λέγω δὴ τὴν Ναζαρὲθ, ἔνθα ὁ Χριστὸς ἐν ἡμῖν ἐσκήνωσεν· τὴν Βεθλεὲμ, ἔνθα κατὰ σάρκα ἐτέχθη· τὴν Σιὼν, ἔνθα τὴν σωτηρίαν τοῦ κόσμου εἰργάσατο· τὸν Ἰορδάνην, ἔνθα τὸν Ἀδὰμ ἀνεκαίνισεν· τὸν Θαβὼρ, ἔνθα τὴν τῶν οὐρανῶν βασιλείαν προετύπωσεν· τὸ τῶν ἐλαιῶν ὄρος, ὅθεν πρὸς τὸν πατέρα ἐν οὐρανοῖς ἀφ' ἡμῶν ἀνελήλυθεν· οὕσπερ ἅπαντας τοὺς αὐτοῦ ἁγίους καὶ σεβασμίους τόπους οὐκ εἰκῇ οὐδὲ μάτην τῇ καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ ἐνεπίστευσεν· ἀλλ' ὡς εὐσεβεστέρᾳ δηλονότι καὶ τιμιωτέρᾳ πάντων [2]) ἐπὶ τῶν ἁγίων παρὰ Χριστιανοῖς ὀνομαζομένων πίστεων καὶ ἐκκλησιῶν. Καὶ ὥσπερ βασιλεὺς τοὺς τιμίους αὐτοῦ τοῦ παλατίου κοιτῶνας καὶ θησαυροὺς τοῖς πιστοτέροις πάντων τῶν ὑπουργῶν αὐτοῦ ἐγχειρίζει τε καὶ πιστεύει· οὕτω καὶ ὁ Χριστὸς ἀπ' ἀρχῆς τῆς παρουσίας αὐτοῦ τῇ καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ τοὺς σεβασμίους αὐτοῦ τόπους ἐπίστευσεν. Εἰ δὲ λέγει ὁ δι' ἐναντίας, ὅτι βασιλικῇ τυραννίδι τούτους κατεχόμεθα· μανθανέτω ὁ τοιοῦτος, ὅτιπερ καὶ βαρβάρων πολλάκις τὴν Παλαιστίνην παραλαβόντων, οὐ συνεχώρησε Χριστὸς τοὺς ἑαυτοῦ τόπους αἱρετικοῖς παραδοθῆναι, ἀλλὰ κἂν πρὸς βραχὺ τοῦτο ἐπεχείρησαν, συν-

---

[1]) loc. cit. pag. 278.

[2]) Sic inveni, quum tamen legendum sit πασῶν.

τόμως πάλιν ἡ καθολικὴ Ἐκκλησία τούτους ἀπεδίωξεν ὡς χοίροις τῶν ἁγίων Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν αὐλῶν καὶ τόπων".

Plura autem de his duabus quaestionibus mihi notanda visa sunt. Primo quaestionem 44. ad Antiochum recentiorem esse, conjicio ex eo, quod illa nostra quaestio 117. rem seu disputationem gestam narrat et ita quidem simpliciter, ut nihil in ea fictum esse censeas; ista vero quaest. 44. ad Antiochum doctrinam exhibet, quasi ex disputatione quadam habita collectam aliisque sequendam. Atqui concedetur, multo facilius ex aliqua re gesta doctrinam colligi quam ad illustrandam doctrinam aliquam casum fingi et quidem sine ulla fictionis specie. Hinc est, quod quaestionem etiam 44. ad Ant. recentiorem esse putem. Confirmor quam maxime ex eo, quod in illa quaest. 117. loca sancta nominantur sola, nullis adjectis epithetis; contra in quaest. 44. ad Ant. oratorum modo sermo ornatus invenitur, adjectis his verbis: „ἔνθα ὁ Χριστὸς ἐν ἡμῖν ἐσκήνωσεν, ἔνθα κατὰ σάρκα ἐτέχθη" &c., quae a posteriore aliquo de industria exquisita et addita videntur. Denique in quaest. 117. solum dicitur: „ἰδοὺ βαρβάρων κρατούντων τὴν χώραν τῶν ἁγίων τόπων"; contra in quaest. 44. ad Ant.: „βαρβάρων πολλάκις τὴν Παλαιστίνην παραλαβόντων", quae ulteriora verba indubie ad recentiorem auctorem spectant.

Verum cujus auctoris censenda est tandem quaestio nostra 117.? Et quidem quod disputatio cum Severianis et Gajanitis et Barsanuphianis Alexandriae facta esse traditur, Anastasium nostrum valde redolet, quippe quem Alexandriae plurimum versatum esse ex Hodego cognoverimus. Quid vero quod Anastasium meum Sinaitam suspicor ex eo, quo inter loca sancta refert etiam τὴν Ἀνάστασιν, καὶ οὐ μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸ Σινᾶ, quae loca in quaest. 44. ad Antiochum desideras, Anastasium vero posuisse putem, quippe qui ab „Anastasi" vocaretur et „Sina" montem quasi patriam haberet? Sua enim quisque magis diligit. Itaque Anastasium meum hujus quaestionis auctorem esse mihi

valde probatur, praesertim quum tempus, quo auctorem scripsisse conjici licet, Anastasio meo optime conveniat. Et hic quidem notanda sunt verba: „ἰδοὺ λοιπὸν ἑπτακόσιοι χρόνοι“. In his verbis haerent scriptores. Atque quae Caveus de iis disseruerit, supra [1]) allegavi. Fabricius [2]) vero et Ceillierius [3]) pro „ἑπτακόσιοι χρόνοι“ legendum putant „ἑπτὰ καὶ εἴκοσι“. Oudinus denique ex iis probare sustinet, Anastasium hujus quaestionis auctorem saeculo XI. vixisse. Dicit enim, „qui ista scribat ita positive, se post aunum Christi 1000. vixisse atque scripsisse indicare“ [4]). Nimirum Oudinus omnia audet. Scriptores ergo in his verbis minime conveniunt. Quid igitur dicendum videtur? Notari inprimis volo, haec verba: ἰδοὺ λοιπὸν ἑπτακόσιοι χρόνοι etiam ejus esse, quem facit auctor disputantem. Quaeritur autem, unde hi anni septingenti initium ducant. Atque quum disputatio Alexandriae facta sit ab orthodoxo quodam cum Severianis et Gajanitis et Barsanuphianis, hos annos septingentos non numerari existimo, neque a Constantino M., neque ab Arianis expulsis circa anno 378. secundum Fabricium [5]). Hac enim ratione disputationem fuisse sequeretur longe post annum millesimum, quo tempore num ulli jam superfuerint aut Severiani aut Gajanitae aut Barsanuphiani, equidem valde dubito. Sed neque legendum mihi videtur „ἑπτὰ καὶ εἴκοσι“; nam tunc fierent anni nonnisi ad summum quadringenti et pauci amplius, quo tempore haeretici praedicti nondum exstitere: Severum enim saeculo sexto prodiisse optime notum est. Forsitan Fabricius et Ceillierius, ut ita legendum esse putarent, moti sint ex eo, quod paulo ante dicitur, Arianos loca sancta tenuisse πρὸ ὀλίγων χρόνων, septingenti autem anni

---

[1]) vid. pag. 74. [2]) vid. Notit. in Edit. Mign. col. 17, 18.
[3]) Ceillier, l. c. pag. 483. [4]) Oudin. tom. II. col. 560.
[5]) col. 17, 18.

non sunt ὀλίγοι. Sed attendas velim, haec ipsa verba „πρὸ ὀλίγων χρόνων“ non ita bene convenire, praesertim cum verbo ποτέ. Τὸ enim ποτέ plerumque prius aliquid gestum indicat quam verba „πρὸ ὀλίγων χρόνων“ vel similia. Ergo potius haec ipsa verba „πρὸ ὀλίγων χρόνων“ mihi corrigenda videntur atque legendum: „πρὸς ὀλίγον χρόνον“, id quod bene consonat etiam verbis quae sequuntur: „οὐδὲν ἴσχυσαν· εὐθέως γὰρ πάλιν ὁ Θεὸς ἡμῖν τοῖς ὀρθοδόξοις παρέδωκεν τοὺς ἁγίους τόπους.“ Quod idem confirmo ex eo, quod in quaest. 44. ad Antiochum eo loco qui huic respondet dicitur: „πρὸς βραχύ“ [1]). Itaque potius haec verba: „πρὸ ὀλίγων χρόνων“ corrigenda esse arbitror in modum quem dixi, non verba „ἑπτακόσιοι χρόνοι“. Existimo autem hos annos septingentos numerari ab ipso Christo, neque quod paulo ante Ariani dicuntur expulsi, magis attendendum esse censeo, quam quod tota disputationis vis in eo posita est, Christianos catholicos loca sancta ab initio possedisse per tempus longissimum fereque continuum. Ergo disputationem factam esse concludo ad ann. circiter septingentesimum post Christum n., quo tempore haeretici qui antea dicti sunt, etiamtum viguere, uti ex Hodego patet. Quum autem quaestio haec scripta sit paulo post disputationem factam [2]), optime etiam quoad tempus Anastasio nostro Sinaitae et Hodegi auctori convenit, quem anno septingentesimo superstitem fuisse ex sermone tertio conjecimus [3]).

Itaque Oudinum jure rejiciendum esse puto, qui hanc etiam quaestionem 117. Anastasio suo quarto attribuit, quem sibi fingit, saeculo undecimo vixisse, immo ex hac ipsa quaestione id probare sustinet [4]). Minime in eo quoque audiendus est, quod dicit, „Quaestiones ad Antiochum ab

---

[1]) „κἂν πρὸς βραχὺ τοῦτο ἐπεχείρησαν οἱ αἱρετικοὶ κ. τ. λ.“
[2]) „ἄκουσόν τινος διαλέξεως γενομένης πρὸ ὀλίγου χρόνου.“
[3]) vid. supra pag. 69. [4]) vid. supra pag. 88.

his nostris quaestionibus esse excerptas et delibatas, atque adeo, quum Quaestiones ad Antiochum saeculo nono antiquiores non sint, Quaestiones nostras ad Anastasium suum quartum spectare" [1]). Denique etiam in eo arguendus est, quod omnes indiscriminatim quaestiones eidem auctori attribuit, atque, quum quaestionem 64. ob eandem de tribus Quadragesimis servandis doctrinam atque eadem etiam verba non pauca ejusdem auctoris esse dicat cum Tractatu de tribus Quadragesimis, ex quo potissimum suum Anastasium quartum eruit, omnes inde quaestiones ad hunc suum Anastasium quartum indubie spectare contendit. Haec ipsa autem quaestio 64. an interpolata sit, merito quis dubitare mihi videtur.

Itaque ut concludam, harum Quaestionum 154, quae exstant sub nomine Anastasii, non omnes, plerasque tamen Anastasio meo Sinaitae et Hodegi auctori attribuerim. Singulae vero quaestiones ad quem spectent, quisnam vel quinam forte collegerint vel addiderint, an idem, cujus videntur quaestiones 2. et 57. saltem quoad citatum Nicephorum, quis decernet?

Caeterum hae quaestiones hoc modo institutae sunt, ut auctor ad quaestionem propositam plerumque prius quasi ex propria mente respondeat, deinde vero tum sacrae Scripturae tum SS. Patrum testimonia eo ordine subjungat, quem res postulare videtur et testimonia allegata permittunt. Attamen in posterioribus quaestionibus quam plurimis ejusmodi testimonia prorsus omittuntur. Jam vero, benevole lector, ut ipse de his Quaestionibus aliquantum judicare possis, nonnullas tibi selectas proponam, omissis tamen, si quae subjunguntur, sacrae Scripturae vel SS. Patrum testimoniis.

---

[1]) Oudin. tom. II. col. 566.

QUAESTIO IX.

Quot sunt modi derelictionis seu in afflictionibus seu in infirmitatibus seu in peccatis? et quomodo cognoscemus quae a Deo est disciplinam, et quae a diabolo procedit tentationem.

Responsio.

Sunt quidem multi et diversi modi derelictionis. Sunt autem duo scopi Dei, in quibus quis derelinquitur, nempe aut ad conversionem et castigationem, ut pater erga filium; aut ex aversione, ut rex adversus inimicum: cujus fuit Judae a Christo postea derelictio. Derelictus fuit Lazarus et paralyticus ad remissionem peccatorum. Dicit enim: „Ecce sanus factus es, noli amplius peccare" [1]). Castigatus fuit Paulus, ne extolleretur [2]). Castigatus fuit Job, ut fieret justior, sicut Deus ei dicit: „Putas autem me aliter tibi respondisse, quam ut appareas justus" [3]). Traditi sunt etiam prophetae in captivitatem ad exemplum et utilitatem populi. Oportet igitur eum qui derelinquitur in se scrutari causam derelictionis, et ipsam corrigere, per quam aut inimici in eum obtinent dominatum, aut amici ei insidiantur aut ipse a minoribus et obscurioribus nihili penditur et contemnitur, aut traditur in passiones ignominiae et afflictiones et infirmitates secundum justum Dei judicium. Saepe enim aut ex superbia et gloriosa jactantia, aut ex eo quod alios judicemus, aut acceptae injuriae recordemur, aut quia nos ipsos non reprehendimus et condemnamus, aut quoniam ex praecedentibus peccatis tradimur doloribus animi et corporis [4])…. Saepe enim eum qui peccat neque ducitur poenitentia, Deus injicit in tentationem et afflictiones, et per tentationes venit ad agnitionem; quomodo accidit Nabuchodonosor et Manasse…. Et Dei quidem

---

[1]) Joh. 5, 14. [2]) II. Cor. 12, 7. [3]) Job. 40, 3.
[4]) Citat auctor I. Cor. 11, 31. 32.

castigatio et tentatio, homini supervenientes ad id quod ei conducit, nunquam bonam spem execindunt ex anima, cujusmodi erat Job, qui dixit Deo: „Sustinebo donec rursus fiam; et constituas mihi tempus, in quo memoriam mei facias" [1].... Quae autem a diabolo Deo permittente advenit tentatio, aegritudine et ira et desperatione replet animam. Sed et ex propria discernendi egestate et arrogantia incidimus in calamitates et tentationes et imbecillicitates; quod accidit iis, qui cum re ipsa videant brumale tempus, navem nihilominus educunt e portu, et in multa pericula et tentationes manifestas se conjiciunt.

(Subjunguntur varia sacrae Scripturae et SS. Patrum testimonia permulta.)

QUAESTIO LX.

Quid est: „Si oculus tuus dexter vel manus tua te scandalizat, abscinde illam abs te?" [2])

Responsio.

Non de membris corporis hoc dicit Christus, absit; sed de amicis et cognatis. Sumus enim inter nos alter alterius membra [3]). Si ergo, inquit, habes amicum aut cognatum, qui est tibi aeque necessarius ac dexter oculus, vel manus, convenienter ei quod dictum est a Job: „Oculus eram coecorum, pes autem claudorum" [4]); vides autem te ab eo laedi in anima tua, abscinde ipsum a te: „Nulla est enim societas lucis cum tenebris" [5]); maxime si sit in eis simulatio et dolus, oportet ab eis fugere et cavere tanquam a serpente. Dicit enim Dominus: „Attendite a falsis prophetis &c." [6]). (Sequuntur testimonia.)

---

1) Job 14, 13. 2) Matth. 5, 29. 3) Ephes. 4, 25.
4) Job 29, 15. 5) II. Cor. 6, 14. 6) Matth. 7, 15.

QUAESTIO LXV.

Quomodo est intelligendum illud: „Omnis scriba doctus in regno coelorum similis est patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera" [1]).

Responsio.

Scribam dicit eum, qui per laboriosam divinarum Scripturarum lectionem sibi recondit thesaurum Veteris et Novi Testamenti, et ex eo depromit tempore disputationis. Quamobrem quicunque sunt imperiti divinarum Scripturarum, non possunt esse patresfamilias, ut qui neque a se habeant, neque ab aliis accipiant, sed seipsos decipiant et fame ignorantiae corrumpant. Nam sicut fieri non potest, ut terra non irrigata, etiamsi millies in eam dejiciantur semina, spicas ferat, ita etiam fieri non potest, ut animus divinis Scripturis non irrigatus, etiamsi quispiam mille verba effundat, ullam fructum ostendat. Magnum est ergo malum Scripturas ignorare, et sicut bruta animalia circumferri. Etenim oriuntur mala innumerabilia ex ignoratione Scripturarum. Hinc germinavit magna pestis haeresium. Hinc vita neglecta, labores inutiles, animae caecitas, deceptio daemonis. Quemadmodum enim qui hac luce sunt privati, recte non possunt ingredi, ita etiam qui divinis sunt privati Scripturis, et ad earum radios non aspiciunt, saepe offendunt et coguntur assidue peccare. Propterea exhortans Paulus Timotheum dicebat: „Attende lectioni &c." [2]).

QUAESTIO LXXX.

Quomodo dictum est: „In omni gente, qui timet Deum, et operatur justitiam, acceptus est illi?" [3]).

---

[1]) Matth. 13, 52. [2]) I. Tim. 4, 13—16; II. Tim. 3, 13—17. &c.

[3]) Praevia qu. 79. disserit, nullum infidelem in regnum coelorum introiturum, ex verbis Christi: „Nisi quis renatus fuerit ex aqua et

Responsio.

Quando S. Petrus praedicta verba protulit, totus ferme mundus infidelitati, et omnes populi iniquitati dediti erant. Eo igitur tempore, qui Deum timebat et operabatur justitiam, prout fecit Cornelius et Centurio, is acceptus erat Deo, Deique cultor vocabatur, sive Judaeus, sive Graecus esset, sicuti etiam Ninivitae et amici Job Dei cultores erant. Doctrina vero Christi promulgata et apostolis ad instruendum nos de baptismo missis, audi quid dicat ad eos: „In quamcunque civitatem intraveritis, neque audierint sermones vestros, exeuntes foras etiam pulverem pedum vestrorum in illos excutite. Amen dico vobis: Tolerabilius erit terrae Sodomorum et Gomorrhaeorum in die judicii, quam illi civitati“ [1]). Quomodo ergo acceptus erit Deo, qui nec credit nec defert doctrinae Christi? Talis enim neque Deum timet neque operatur justitiam. In eandem sententiam accipitur etiam Pauli dictum: Ante praedicationem Evangelii fuisse „gloriam et honorem omni operanti bonum, Judaeo primum et Graeco“ [2]). Post praedicationem voro: „Si angelus, inquit, ex coelo evangelizaverit vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit“ [3]).

QUAESTIO LXXXI.

Quorsum abeunt infantes, malitiae adhuc expertes, utpote quinquennes vel quadriennes, Judaeorum et baptismo carentium? num in damnationem, an in paradisum?

Responsio.

Cum Deus suam sententiam jam protulerit, iniquitates patrum non transire in filios, perque prophetas annuntiarit

---

Spiritu, non intrabit in regnum coelorum“ (Joh. 3, 5). Ergo quaeritur, quomodo his consonet illud Apostoli dictum: Act. 10, 35.

[1]) Matth. 10, 14. 15. [2]) Rom. 2, 10. [3]) Gal. 1, 8.

filios non perituros pro peccatis patrum suorum [1]), mihi videtur tales infantes non conjici in gehennam. Verum non decet judicia Dei scrutari velle.

QUAESTIO LXXXIX.

Omnes cupidissime et quasi ingenti siti aestuantes, vel parum discere et accurate cognoscere avent, quid sit anima hominis, qualis et unde subsistat, et quomodo in corpore operetur, et quo post separationem a corpore abeat.

Responsio

prius agit de substantia animae. Deinde vero singulares quaedam opiniones adstruuntur de apparitionibus Sanctorum et de cognitione hominum defunctorum atque etiam ad alteram vitam expergefactorum his verbis:

„Nosse oportet omnes apparitiones, quae in templis et ad sepulcra Sanctorum contingunt, per angelos sanctos, permissu Dei, perfici; nam quomodo fieri potest, ut corporum resurrectione necdum peracta, ossibusque et carnibus Sanctorum adhuc dispersis, videamus ipsos Sanctos, cum interdum integri viri et quidem equestres armatique se oculis intuendos objiciant? Si his contradicere velis, dic, oro, qua ratione, qui unus est Paulus, vel Petrus, vel alius apostolus, vel martyr, eodem tempore eademque hora aliquando multis in locis appareat? neque enim angelus potest simul eodem momento in pluribus locis praesens esse, sed hoc soli incircumscripto Deo competit [2]).

Caeterum ... separatam a corpore animam ratiocinandi facultate destitui testatur beatus David, qui de mortuis:

---

[1]) Ezech. 18, 20; Deut. 24, 16; IV. Reg. 14, 6; II. Par. 25, 4.

[2]) Similis est quaest. 26 ad Ant.

„In illa die, inquit, peribunt omnes cogitationes eorum“ [1]). Deesse memoriam idem testatur: „Non est in morte qui memor sit tui“ [2]). Si nulla est memoria Dei, perspicuum est eos neque orare. „Neque mortui, inquit, laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum“ [3]). Easdem animas a corpore abjunctas mundum non vidère, testis est idem propheta de homine loquens: „Quoniam spiritus pertransivit in illo, et non subsistet, et non cognoscet amplius locum suum“ [4]).

„Quomodo autem in altera vita animae se invicem cognoscent, quae se in hac vita nudas, hoc est a corpore segregatas, nunquam viderunt? Agnitio enim ex differentia et diversis signis exsistit; at in illo saeculo nulla anima diversitatem formae vel figurae, qua ab altero discriminetur, habet; sed omnibus est una et aequalis essentiae similitudo“ [5]).

„At neque post resurrectionem nos mutuo naturali cognitione agnoscemus: non enim erit ibi parvitas vel magnitudo corporum; non albedo, non nigredo, non infantia, non senectus; sed qualis exstitit Adam, tales universi illi qui a condito mundo vita functi sunt resurgent: quemadmodum grana, quae ex spica decidunt, et in terram minima conduntur, non parva resurgunt, sed perfectae spicae fiunt, cujusmodi videlicet illae erant ex quibus deciderunt [6]). Sancti Patres enim definiunt resurrectionum esse primi hominis in antiquum statum restitutionem. Naturali igitur ratione nullus alium cognoscit; divina vero permissione multi multos cognoscent. Nam et de Judaeis dictum est: „„Videbunt in quem transfixerunt““ [7]).

Verum num hae opiniones Anastasii mei unquam fuerint, equidem valde dubito. Sane quae de cognitione animarum

---

[1]) Ps. 145, 4. [2]) Ps. 6, 6. [3]) Ps. 113, 17. [4]) Ps. 102, 16.
[5]) Similis est qu. 22 ad Ant. [6]) Similes sunt qu. 23 et 24 ad Ant.
[7]) Joh. 19, 37.

defunctarum dicuntur, non ita consonant neque iis, quae paulo ante in eadem quaestione posita sunt, quaeque supra allegavi [1]), neque etiam iis, quae in sermone tertio quem dixi Anastasius profert de operationibus animarum, praesertim justorum, e corpore egressarum [2]), atque de animabus in inferno Christi praedicationem intellectu et libera voluntate excipientibus [3]). Potius igitur credam, eas opiniones interpolatas esse. Sane etiam exstant in quaestionibus ad Antioch. sub num. 22, 23, 24, 26, sed ibi nonnihil deteriores atque insulsiores. Accedit quod hae opiniones ad quaestionem propositam non adeo spectant. Contra quaestionis 91. pars altera, quae incipit col. 724 B: „Πλὴν καὶ αἱ τῶν ἁμαρτωλῶν ψυχαὶ κ. τ. λ.“ non spectat ad quaestionem 91., ut cuivis legenti facile patebit, sed potius ad quaestionem 89., ita ut priori parti quaestionis 89. jungenda sit quaestionis 91. pars posterior. In codice autem Bavarico neutra jam exstat. Apparet ergo, non quaslibet harum responsionum partes tanquam genuinas sive ejusdem auctoris admittendas esse, nulla disquisitione habita, sed opus esse magna examinatione.

QUAESTIO XCIII.

Quid est indesinenter orare? Neque enim fieri potest, ut homo rei familiaris et filiorum cura detentus et in mundo degens, absque intermissione oret.

Responsio.

Non intellexit hoc Apostolus de sola oratione, quae voce perficitur. Nam et Christus ait: „Non omnis, qui dicit mihi: „Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum, sed qui facit voluntatem ejus qui misit me“ [4]). Sed ille

---

[1]) pag. 78. [2]) cf. pag. eand.
[3]) col. 1173 B. [4]) Matth. 7, 21.

perpetuo orat, qui indesinenter aliquid boni operatur, sive id fiat beneficentia in egenos, sive aliqua alia Deo consentanea ratione. Nam et in lecto, in via, in mensa, in foro, et in omni loco cor preces concipere potest.

QUAESTIO EXTRA ORDINEM I. SUB QUAESTIONE 100.

An expediat communicare quotidie, an ex intervallo, an tantum diebus Dominicis?

Responsio.

Haec quaestio variam habet responsionem. Sunt enim quibus quotidiana communio convenit; et sunt quibus communio omnino non convenit [1].

QUAESTIO EXTRA ORDINEM SUB QUAESTIONE 105.

Num bonum est peccata confiteri?

Responsio.

Bonum et admodum utile est confiteri, sed ita ut confessio non fiat cuilibet, quum sic neque tu utilitatem inde capias, et insuper audientes inficias. Si igitur inveneris virum spiritualem [2], qui possit tibi mederi et pro te orare, huic soli confitere.

QUAESTIO CVII.

Si quod opus agrediar, unde conjiciam, num Deo placeat annon?

Responsio.

Perfectorum et spiritualium virorum est, omnia accurate

---

1) De eodem argumento fusius disserit qu. 7.

2) „ἄνδρα πνευματικόν“. Similis est. quaest. 6., sed fusior.

dijudicare [1], ut ait Apostolus.... Quae autem homo fecerit propter Deum, simplici corde et bono fine, nihil damnationis ex iis subibit.

QUAESTIO EXTRA ORDINEM SUB QUAESTIONE 109.

Qua ratione intelligendum est illud: „Si duo vel tres ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis?“ [2])

Responsio.

Dominus, qui varias hominis cogitationes et superbiam probe novit, vult ut non habeamus fiduciam in nobis, licet virtuti deditam sanctamque vitam agamus, sed ut, cum quid petimus, indignos arbitremur nos qui voti compotes reddamur [3]), ac proinde alios ejusdem mentis et sententiae asciscamus. Nam qui solus orat et accipit, saepe in elationem incidit; pluribus autem orantibus et accipientibus, intra humilitatis metam se continet. Hoc igitur cum crebro adjunctis aliis sociis praestitissem, obtinui quod volui, et suadeo vobis, ut in vestris ad Deum precibus idem faciatis: quando enim duo vel tres ex toto animo orant, vel aliquando ad alterum tertiumve diem jejunant, omnino sive per visionem sive alio modo is, qui aliquid instituit agere, certior fiet.

QUAESTIO CXX.

Unde somnia et quomodo saepe vera fiunt?

Responsio.

Dictum est a Salomone: „Somnia extollunt impruden-

---

1) I. Cor. 2, 15. 2) Matth. 18, 19.
3) Textus Graecus, prout exstat, corrigendus videtur.

tes“ [1]). Quocirca monemur ne credamus neque assentiamur illis, ne daemones circumveniendi nos ansam inde accipiant, prout nonnullis contigit. Porro somnia saepe nascuntur ex actionibus quibus interdiu occupati fuimus. Immittuntur etiam a daemonibus. Elevantur insuper ex stomacho vapores, quibus variae phantasiae excitantur. Sed et Deum aliquando auctorem habent. Crebro quoque angeli per insomnia nos dirigunt vel perterrefaciunt. Ad haec anima tanquam rationalis et intellectualis creatura praecognoscit et praenuntiat quaedam homini, maxime si Spiritum sanctum possideat [2]).... Sola igitur illa somnia amplectere et dilige, quae te ad contritionem, emendationem, conversionem Deique timorem inducunt.

QUAESTIO CXXXIII.

In haec quaestione dicit [3]): „Si egestate impeditus fratribus tuis pecunia subvenire nequeas, consilium omnibus tam opulentis, quam egenis salutare suggeram. Et quodnam est istud consilium? Ut quotiescunque mensae tuae accumbis et diversitatem eduliorum tibi appositam contemplaris, ingemiscas teque condemnans dicas: O Deus, ne mihi ad damnationem imputetur tanta bonorum, quibus me cumulasti, copia! Quot jam sunt fratres nostri, qui exiguum panis frustillum desiderant! Quot in solitudinibus ne ipsam quidem aquam ad satietatem bibunt, sed a solis aestu exuruntur! Similiter quando cubitum vadis, eadem in lectu cum animo tuo reputa. Idem fac in balneo, in foro, in ecclesia, semper quasi in statera teipsum appendens et damnationis reum pronuntians. Nec vane mihi persuadeo, omnem illum, qui talem confessionem ediderit et contra se damnationis sen-

---

1) Eccl. 34, 1. 2) Joel 2, 38; Act. 2, 17.

3) post ea verba, quae supra pag. 83 allegavi.

tentiam tulerit, misericordiam a Deo inventurum. Qui vero oggerunt: Ideo dedit mihi Deus divitias, ut comedam et bibam et voluptatibus fruar, et si voluisset, potuisset utique etiam mendico edendi, bibendi et deliciis fruendi materiam subministrare, illi januam coeli sibimetipsis occluserunt.

QUAESTIO CXXXV.

Quid est vera humilitas? et quomodo illam, Deo adjuvante, exercere valemus?

Responsio.

Non consistit humilitas in hoc quod quis peccet seque peccatorem et supplicio dignum agnoscat; hanc enim de se existimationem quilibet peccator habet, forsan et daemones.... Igitur vera humilitas est bonis operibus insistere, se vero immundum Deique favore indignum reputare neque salutem nisi ex Dei benignitate sibi polliceri. Quaecunque enim bona opera agimus, non rependimus Deo vicem pro solo aere, quem respiramus. Nam licet universa quae suppetunt offeramus Deo, nullam nobis mercedem debet, ipsius enim omnia sunt; nullus autem qui, quae sua sunt, accipit, offerenti debitor efficitur. De cetero, qui retribuamus Domino pro ipso ortu nostro? pro bonis quibus nos cumulare dignatus est? pro liberis, pro divitiis, pro periculis, ex quibus saepius nos liberavit? pro sanguine, quem pro nobis effudit? Et post haec pro peccatis nostris, quae clementer condonavit, et pro regno coelorum, quod nobis promisit? Cum igitur tot et tanta debeamus, neque quidquam persolvamus, quanta in humilitate cordisque contritione perpetim versari debemus, ita ut memini nos anteponamus, neminem condemnemus, neminem caluminiemur, memoriam illatae injuriae deponamus, omnes diligamus et omnibus compatiamur. Desideremus Dominum eo affectu quo multi amicas desiderant. Non raro enim accidit, ut qui alicujus

mulieris cupiditate tenebatur, omnes suas facultates insumpserit, quo sordibus ejus potiretur. Timeamus Deum, saltem ut feras et catulos. Saepe enim contingit, ut dum aliqui furatum tendunt, canes latrantes audiant, pedemque e vestigio referant: non timore Dei, sed canum. Quapropter timeamus Deum. Animo afficiamur sicuti damnati, qui vinculis adstricti semper solliciti sunt plenique curis et angustiis, sciscitantes, quandonam quaesitor et judex venturus ipsisque pro operibus debitam mercedem persoluturus sit. Nam qui hujusmodi curis sese occupat, is ad genuinam humilitatem provehitur.

QUAESTIO CL.

Quomodo intelligendum illud: „Qui habet tunicam, vendat illam et emat gladium?“ [1])

Responsio.

Dum Dominus discipulis suis Judaeorum adversus se aggressionem et impressionem indicare vellet, aenigmate quodam gladii id fecit. Nam cum dixisset: „Emat gladium“, subdidit: „Quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est“ [2]). Igitur neque omnino subticuit, ne improviso impetu turbarentur, neque omnino patefecit, ne formidine aliqua percellerentur [3]). At cum discipuli dicerent: „Ecce duo gladii hic“, nec dictum Christi intelligerent, respondit Dominus: „Satis est“. Quamquam satis non erat; nam si humana ope uti voluisset, ne

---

[1]) Luc. 22, 36. [2]) ibid. 37.

[3]) Hucusque excerpta exstat haec quaestio inter Dicta et Interpretationes parabolarum Evangelii S. Athanasio ascripta sub num. 33. (Vid. opp. S. Athan. Paris. tom II. p. 315.) Exstat etiam integra in cod. Bav. num. 68.

centum quidem gladii suffecissent. Si nec tot, etiam duo superflui erant. Nihilominus aenigma non dissolvit. Quod et alibi saepius fecit. Nam cum sensum ejus, quod dictum erat, non assequerentur, praeterit illud et ipsi rerum eventui veram intelligentiam declarandam permittit; ut et tunc, quum dixit: „Solvite templum hoc“ [1]).

Sed hae quaestiones, ex quibus judicari possit, satis sint; nunc de libris XII in Hexaemeron disseram.

---

[1]) Joh. 2, 19.

CAPUT V.

DE LIBRIS XII IN HEXAEMERON.

Exstant sub nomine Anastasii „*Anagogicarum Contemplationum libri XII*“, qui teste Fabricio [1]) Graece passim asservantur in variis Bibliothecis [2]), solus liber XII. Graece editus habetur etiam in Editione Migniana. Itaque cum codicis manuscripti nullius copia mihi esset, quae de his in Hexaemeron libris mihi dicenda esse viderentur, solum depromere et judicare potui ex versione Latina, quae habetur in Editione Mign. col. 851 et seqq. ex Bibl. Vet. PP. Lugdun. tom. IX. p. 857.

Priusquam autem de his in Hexaemeron libris quaestionem instituam, quid sibi hoc opere auctor velit, ejus ipsius verbis praemittam. Atque id aperte nobis declarat [3]) his verbis: „Totus scopus et institutum hujus operis est, ut ostendamus, quod universa sex dierum tam in coelis quam in terris creatio praefigurat et describit Verbi Dei incarnationem et Ecclesiam“. Item fusius scribit in praefatione hujus operis ad Theophilum [4]) quendam in hunc modum [5]): „Te, o valde desiderabilis fili mi et caput omnium mihi amabilissimum, laudans ob concinnum et propensum

---

[1]) Edit. Mign. Patrol. Gr. tom. 89. col. 29 et 30.

[2]) Exstant etiam Monaci in cod. graeco 145. fol. 146 et sequentibus sub hoc titulo: „τοῦ ἁγίου Ἀναστασίου πρεσβυτέρου καὶ μοναχοῦ τοῦ ἁγίου ὄρους Σινᾶ καὶ ἀρχιεπισκόπου Ἀντιοχείας εἰς τὴν πνευματικὴν ἀναγωγὴν τῆς ἑξαημέρου κτίσεως“ (teste Hardio in Aretini Beitraegen &c. ad a. 1804, part. 10, pag. 22).

[3]) lib. 7. col. 944 B. [4]) cf. lib. III. init. col 877 C.

[5]) col. 851. seqq.

in res divinas studium et mentem philosophiae Verbi deditam, tanquam animatam tui corporis figuram excepi inanimem chartam tuae scripturae, quae petit, ut detur solutio eorum, de quibus dubitatur a multis in Hexaemero, id est, in creatione sex dierum. Quamobrem eo fretus, qui dicit: „Petite et accipietis [1]...", in eo spem eorum quae dicturus sum collocans, post illos, qui antea laborarunt, vestigiis eorum insistens, qui circa horam undecimam aeque celeriter munus peragunt et in metendo et rursus in vindemiando, demisso oculo et humili diligentia et imperitia tanquam spicas legens et culmos colligens, instar formicae relictá grana relego: et tanquam canis micas colligens lauti et opipari Patrum epuli ac convivii aufero, quae excidunt: et tanquam apis, quae mel conficit, ex illorum pratis si quid est odoriferum subripio et in hoc vase reponens, iis quibus fas est bona appetere et eorum esse participes, propter te fruenda offero: nam si poetice postulante tempore licet dicere:

Canto iis qui sapiunt...

Et: Aures obstruite et vos vestras rite, profani.

In meis enim auribus valde resonat, qui a coetu amandat furfuraceas orationes et terrestres et quae sensus afferunt humi serpentes. Nam et qui veneranda animaeque sordes abstergentia peragunt mysteria, quando ex arcanis veluti thalamis in publicum omnium conspectum sunt, ea palam et inter se cohaerenter expposituri, congruenter divinis consecrationibus arcanorum Dei sacramentorum, universo simul misto populo nunquam eam faciunt ostensionem, priusquam qui liturgiae praeest post superiorem et quae est citra ullum medium, Dei chori ordinationem, tanquam voce praestans quidam praeco, stans extra sacratissimas portas, jussione maxima secreverit ab adytis ad quae non licet

[1]) Joh. 16, 24.

accedere, eos quibus non licet iis frui ac percipere, timens illum sordidis vestibus indutum in Evangelio [1]), qui longissime fuit expulsus a nuptiali convivio, quoniam non praeparaverat vestem convenientem divino illi epulo. Ad hoc autem opus nos componendum venimus, non spem ponentes in facundia suavibusque fabulis et nugis arteque dicendi Graecorum, nec armati jambis trucibus et inutilibus: Christum enim habemus viae ducem, qui Graecam sapientiam dicit esse stultitiam et crucis extinctionem [2]). Loquimur enim de divina Scriptura, quae exposita quidem fuit per quandam vocis tenuitatem et linguae tarditatem, a paucis autem est confirmata et ornata, iisque agrestibus et piscatoribus et sutoribus et illiteratis: pudoreque affecit sapientes eosque ostendit stultos et inutiles. Quamobrem in praesentia, a nobis non dicetur de figuris et intervallis, nec de circumactionibus et motibus et regressibus in suos locos, nec de posituris et alterationibus, nec de motibus in orbem, nec de antipodibus et de partibus coeli et Saturni motibus, nec de coeli motu et gradibus, nec de lunae ortu et defectu, neque rursus de astris et singularibus quae in eis considerantur stellis; non de ortu aquarum et inundationibus, ex quibus eos quoque, qui in locis fiunt terrae motus, visione apprehenderunt, qui se in mathematica et hac conjecturali arte exercuerunt, a qua tanquam ab exitiosa lue liberavit Ecclesiam verum, quod in terris versatum est, Verbum. Nam quid lucri ceperit Ecclesia, si didicerit universam motionem solis et lunae et coeli et terrae et ventorum et stellarum, praeterquam solam pereuntem et falsam opinionem? Discens autem et audiens, quod ab ipso Deo universorum effectore effecta sunt duo opificia, unum quidem quo produceretur homo et (ut semel dicam) res omnis creata, alterum autem quo bene esset et homo et

---

[1]) Matth. 22, 2 seqq. [2]) I. Cor. 3, 19.

universa res creata, cum ipse carnem suscepit, liberatis omnibus ab interitu, cum ut bene essent acceperunt; et quod tanquam propheta divinus Moses praevidit etiam productionem et opificium creaturae ad hoc ut bene sit, et scribens quemadmodum ad hoc ut esset deducta exstiterit, in ipsa etiam Scriptura inseruit ejus reformationem per Christum ad hoc ut bene sit, sed stylo quodam prophetico obscuroque et allegorico. Omnia enim quae sunt in coelis et in terra, Deus prius construxit in sapientia ad ejus figuram et priorem descriptionem". „Hoc est enim mysterium, quod ante saecula et a generationibus prius definiit Deus et praedestinavit. Unde etiam dicitur Deus omnia in caput redegisse et instaurasse in Christo [1]). Quid est in caput redegisse et instaurasse, quam ea quae rationibus in ipso prius erant figurata et adumbrata, re ipsa factis in ipso esse impleta?" [2]) „Quod autem Ecclesiam quoque prius significent et figurent, ab hac dubitatione te rursus liberat ipse divinus Apostolus in Epistola ad Hebraeos, dicens de tabernaculo testimonii et de omnibus in eo constructis, quod ea facta sint in figuram Ecclesiae, dicens: „Non in manu facta ingressus est Christus verorum exemplaria, sed in ipsum coelum" [3]). Dicens autem „exemplaria", ostendit citra ullam dubitationem, quaecunque sunt in Ecclesia, esse imitamenta ordinum coelestium. Si ergo invisibilia, et quae sunt praestantissima, sunt comparata ad imaginem et figuram Ecclesiae, ne de caetero amplius dubitaveris, quod et universa terrestria, quae scripta sunt in lege Mosaica, umbram habuerunt et figuram futurorum in nobis bonorum, ut docet Paulus" [4]). Porro „si quod omnis creatura facta est propter hominem Adam et Evam, Paulus ad Ecclesiam refert dicens: „Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et Ecclesia" [5]), sine dubio omnis quae propter hominem et

---

[1]) Eph. 1, 10. [2]) col. 854. [3]) Hebr. 9, 24.
[4]) Hebr. 10, 1; col. 855. [5]) Eph. 5, 32.

ejus conjugem facta est creatura, refertur ad Christum et Ecclesiam. Atque quod hoc quidem argumentum nostras vires superet, neque nos negamus, neque ullus qui sapit. Sed quoniam hinc magna est in Ecclesia gloriatio, et quaevis Scriptura majora hinc accipit arma adversus pietatis inimicos qui eam circumdederunt, ea de causa invocato Christo datore luminis per suam conjugem Ecclesiam, qui Balaamicae asinae [1]) postulante tempore os aperuit, et qui multis indignis, ne dicam omnibus, praeclara sua bona largitur, ausus sum immensum hoc ingredi pelagus, post Christum utens adjutoribus sanctis qui ante nos exposuerunt Patribus" [2]). „Quodsi etiam aliquid novum et minus consuetum nostra dicat oratio, rogamus et obsecramus tam praesentes quam futuros filios Ecclesiae, ne inimico et invido malignoque animo, sed fraterno audiant, quae dicuntur. Nunquam enim aberrans et perfecta rerum cognitio, est solius Dei, siquidem etiam spiritualis „ex parte cognoscit et ex parte loquitur" [3]), et qui est secundum cor Dei, David precatur, dicens [4]): „Aperi oculos meos, ut intelligam mirabilia legis tuae" [5]).

Testatur vero auctor, „se litteram quidem minime dissolvere, verum ab optimo et benignissimo S. Spiritu sensum mystice absconsum intra litteram inquirere" [6]). Et initio lib. III.: „Memento, inquit, o lector, me dixisse, quod non dissolventes litteram transimus ad sensus non scriptos anagogicos" [7]), atque initio lib. IV.: „Aequum esse existimo valdeque utile per universam sex dierum expositionem, admonere auditores quod non dissolventes Dei operum quae est ex littera historiam, spiritualiter corporales creaturas

---

[1]) Num. 22, 28. [2]) col. 856. [3]) I. Cor. 13, 9. [4]) Ps. 118, 18.
[5]) col. 856. Cf. praefat. Hodeg. supra pag. 46, et Hod. c. 24 col. 309 supra pag. 79. not. 2.
[6]) lib. I. col. 860 C. [7]) col. 877 D.

exponimus per allegoriam" [1]), sed „excutientes spicam Scripturae ab extrinsecus imposito operculo litterae Mosaicae, primam rationem, granum, inquam, quod est frumentum intra absconsum, nempe Christum inquirimus" [2]).

Jam vero, benevole Lector, quum auctoris ipsius mentem in componendo hoc opere satis ostenderim, quisnam auctor censendus sit, ex ipso opere videamus, in quantum conjicere licet ex versione Latina, quum Graecae veritatis copia mihi desit, ut jam ante dixi.

Atqui multi quidem loci Anastasium nostrum, Hodegi auctorem, redolent atque Hodego optime consonant. Ex quibus hi mihi notandi visi sunt.

Primus quidem qui habetur lib. IV. col. 900 B: „Ipsum lunae [3]) nomen significat gratiam, nempe baptismatis regenerationem. Σελήνη enim, i. e. luna, interpretatur σέλας νηπίων, id est, fulgor infantium, et omnium qui generantur, utpote quod ab utero alia sit piscina: σέλας enim est lux. Aut rursus lunae fulgor est puerascens, propterea quod perpetuo generetur et regeneretur". Haec lunae definitio ad verbum consonat ei, quam in Hodego exhibet cap. 2 col. 85 A: σελήνη, σέλας νηπιάζον (εἴρηται). Nihil enim aliud esse „puerascens" existimo, quam „νηπιάζον" translatum.

Deinde notandi sunt complures loci, qui Hodegi cuidam loco, cap. 14. col. 236 et 237, optime consonant, atque hunc quidem praemittam, quo sequentibus allegandis facilius comparari possit. Igitur Hodegi auctor, postquam haereticos interrogavit, cur Christus Dominus, si nobis in omnibus praeter peccatum similis esse noluisset, non in angelica aut aliqua alia illustriori natura mundo apparuerit, sed in corruptibili et mortali et fluxili carne, loco citato sic prose-

---

[1]) col. 889 D. [2]) col. 889 A.

[3]) Luna vero auctori est typus Ecclesiae (ibid.).

quitur: „Ὅτι γὰρ εἰ ὤφθη Χριστὸς κρείττονά τινα καὶ παράδοξον μορφὴν ἔχων, εὐθέως ἐπιστεύετο, ὅτι Θεὸς ὑπάρχει· ἐκ Γραφικῆς ἱστορίας τὸ λεγόμενον παραστῆσαι πειράσομαι. Ποιήσας ὁ Θεὸς τὸν Ἀδὰμ, κατ' εἰκόνα καὶ ὁμοίωσιν Θεοῦ, ἐνέθηκεν εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ διὰ τοῦ ἐμφυσήματος τὴν χάριν καὶ ἔλλαμψιν καὶ ἀκτῖνα τοῦ παναγίου Πνεύματος, εἶτα διὰ τῆς παρακοῆς καὶ τῆς ἁμαρτίας ἀποσβεσθείσης τῆς τοιαύτης χάριτος ἐκ τοῦ προσώπου αὐτοῦ, ἐγέννησε τὸν Κάϊν, ἐγέννησε τὸν Ἄβελ. Μετὰ δὲ τούτοις, ἄκουσον τί φησιν ἡ Γραφή· „„Ἔζησε δὲ Ἀδὰμ ἔτη διακόσια καὶ τριάκοντα καὶ ἐγέννησεν υἱὸν κατὰ τὴν ἰδέαν αὐτοῦ καὶ κατὰ τὴν εἰκόνα αὐτοῦ““ [1]), τοῦτ' ἔστιν, οἵαν εἶχεν ἀπ' ἀρχῆς, ὅτε γέγονεν ὑπὸ Θεοῦ, εἰκόνα καὶ ἔλλαμψιν ἐπὶ τοῦ προσώπου αὐτοῦ. „„Καὶ ἐπωνόμασε τὸ ὄνομα αὐτοῦ Σὴθ““ [2]), τοῦτ' ἔστιν ἐξανάστασις· ἐπειδὴ εἶδεν ἐν αὐτῷ ἀνακαινισθεῖσαν τὴν ἀρχαίαν καὶ παράδοξον ἐκείνην ἐπὶ τοῦ προσώπου μορφὴν καὶ χάριν καὶ ἔλλαμψιν τοῦ παναγίου Πνεύματος, ἣν θεασάμενοι ἐπὶ τοῦ προσώπου τοῦ Σὴθ, ἅπαντες οἱ κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν ἄνθρωποι, εὐθέως προσηγόρευσαν αὐτὸν θεόν· καὶ διὰ τοῦτο περὶ τῶν υἱῶν αὐτοῦ εἶπεν ἡ Γραφὴ, ὅτι „„Ἰδόντες οἱ υἱοὶ τοῦ Σὴθ τὰς θυγατέρας τῶν ἀνθρώπων““ τὰς ἐκ τοῦ γένους τοῦ Κάϊν, „„ἔλαβον ἑαυτοῖς γυναῖκας““ [3])· μετεῖχον γὰρ καὶ αὐτοὶ τῆς χάριτος τοῦ ἁγίου Πνεύματος, ἕως εἶπεν ὁ Θεὸς, ὅτι „„Οὐ μὴ καταμείνῃ τὸ Πνεῦμά μου ἐν τοῖς ἀνθρώποις τούτοις““ [4]). Μέντοιγε ὁ Σὴθ ἐπὶ ἐννεακοσίους πέντε χρόνους διέμεινεν ἐν μέσῳ τῶν ἀνθρώπων, ἔχων τὴν τοιαύτην παράδοξον τοῦ προσώπου μορφὴν, ὀνομαζόμενος ὑπὸ πάντων θεός“. Haec quidem in Hodego. In libro autem VII. in Hexaemeron haec legimus, col. 939 C: „Quomodo in singulis diebus hebdomadis sex dierum fuit aliquod signum resurrectionis et mundi et ho-

---

[1]) Gen. 5, 3 secundum Septuag.

[2]) ibid. [3]) Gen. 6, 2. [4]) ibid.

minum generationis; ita etiam in unoque millenario sex millium annorum praeteritorum, fuit aliquod symbolum et typus resurrectionis et transitus creaturae ad id quod est melius ... *Ducentesimo* quidem *et triccsimo anno* primi diei genitus Seth, qui interpretatur: *positus*, habet imaginem et similitudinem, quam ab initio a Deo acceptam Adam obscuravit per transgressionem". Ubi hoc quoque inprimis attendendum, quod ea verba: „Seth, qui interpretatur: *positus*", eodem spectant, quo definitio supra in Hodego allegata: „*Σὴϑ, τοῦι᾽ ἔστιν ἐξ ανάστασις*". Consonat etiam, quod lib. X. col. 1016 A Seth vocatur „renovans imaginem ejus, qui ad imaginem factus erat". Libro deinde XI. col. 1040. ostendens, deceptam quoque et lapsam Evam typum fuisse Ecclesiae, haec disserit: „Cum duae essent generationes hominum in principio in mundo, qui in propriam et separatam referebantur genealogiam, erantque praefiguratio duorum populorum: et alii quidem ab Adamo, alii vero a Cain parricida procedebant: qui ab Adamo quidem procedebant, in figuram populi Christi, habebant quandam gratiam sancti Spiritus in vultu suo, quae eos ostendebat et separabat a populo Caini: et maxime Seth, quem genuit Adam ad suam speciem et imaginem, ut dicit Scriptura. *Quamobrem homines, qui erant in illo tempore, illum Deum appellabant.* Qui autem nascebantur ex semine Caini, in typum populi Israelis, erant hospites et alieni ab illa gratia et illuminatione quae erat in vultu, ut qui originem duxissent a parricida. Quamobrem iis qui erant ex semine Adam (qui erat typus Christi), qui nominabantur filii Dei, ii qui erant ex Cain, invidebant propter splendorem, qui eis eminebat in vultu. Ii ergo qui dicebantur filii Dei, ut qui essent filii Evae a matre, per oculos primam susceperunt affectionem.... Quomodo enim de ea dictum est, quod vidit lignum bonum ad comedendum et oculis gratum ad videndum, ita etiam scriptum est, de filiis ejus: „„Et viderunt filii Dei"", hoc est qui originem duxerunt ab Adamo,

„„filias hominum““, nempe eorum qui descenderunt a Caino, quod sint puchrae, et acceperunt eas uxores“. Quod autem hic „filii Dei“ dicuntur filii Adami, in Hodego autem filii Seth, ceteris tantopere convenientibus, nil interest. Nam et filii Seth et ii quidem inprimis sunt filii Adami. Caeterum attendas velim, etiam eundem auctorem pro vario tempore et fine varia dicere. Sed ut tibi satisfiat, haec lege, quae dicit lib. IX. col. 992 A: „Quis totius mundi diluvio fecit interitum, nisi pulchritudo mulierum illarum, filiarum hominum, quas *filii Seth* acceperunt in uxores“. En, quos supra dixit filios Adami, hic rursus dicit „filios Seth“. Ergo haec omnia optime cum Hodego consonant.

Porro in libro VII, col. 946 D haec dicit: „In die septimo facta est salus iis, qui erant sub terra, sicut iis, qui erant super terram. In eo spoliati sunt inferni. In eo liberatus est Adamus ex moeroribus. In eo dominatus est Christus mortuis sicut et vivis. Tunc a cruce ambulavit in vestigiis abyssi. Cumque illuc descendisset, tunc in metu apertae sunt portae mortis, tunc mortem est scrutatus (?), tunc alligavit tyrannum“. Quibus comparari licet, quae supra [1]) ex Hod. cap. 13. atque sermone tertio allegavi.

Quarto mihi notanda visa sunt, quae habentur libr. VII. col. 953 CD: „Quod si vis causam intelligere, propter quam Deus nominatus est Dominus post carnis susceptionem, ego id tibi confidenter interpretabor: divinarum Scripturarum et sacrorum earum interpretum habens suffragium. Celeberrimus ergo et earum divinarum Scripturarum mysta apostolicus Dionysius dicit in sapientissima sua Theologia, quod Deus Graece dicitur *Θεὸς* ex eo, quod omnia *θεωρεῖ*, id est contemplatur et aspicit: Dominus autem, nempe *Κύριος*, ex eo, quod *κυριεύει*, id est, dominetur. *Κῦρος* enim dicitur potentia ac dominatio: *ἄκυρον* dicitur, quod est otiosum et

---

[1]) pag. 67 seq.

non habet robur et potestatem, sed vacuum et inane redditur. Recte ergo apteque in suo adventu ad homines quando carnem suscepit et in terra visus est Deus Verbum, tunc etiam appellatus est Dominus: nam antea quidem nominabatur Θεός, ut qui esset mundi θεωρητής, id est, contemplator et inspector. Quando autem, cum per carnem advenisset, tyrannum inimicum nostrum percussit, quando mortem morte affecit, quando nos a daemonum manu avulsit, quando docuit impios Dei cognitionem, quando gentes a Patre accepit in haereditatem, quando possedit fines terrae, quando dominatus est a mari usque ad mare et a fluviis usque ad fines orbis terrae: tunc Dominus est appellatus, ut qui nostri dominaretur, in quos antea dominium obtinebat diabolus". Hae autem definitiones Dei et Domini, ex quibus hoc suum argumentum instituit, eaedem sunt quae in Hodego cap. 2. col. 86 C: „Καὶ γὰρ ὁ Θεὸς ἐκ τῆς θεωρητικῆς αὐτοῦ ἐνεργείας εἴρηται, ὥς φησιν ὁ ἅγιος Διονύσιος" (cf. col. 68 A, 53 C), et col. 84 D: „Κύριος, κῦρος τὸ κράτος εἴρηται".

Deinde initio libri VIII. auctor dicit (col. 971): „Quod quae silentio praeteriit Scriptura divina, non sunt scrutanda, est perspicuum", quae sententia ad verbum consonat cum Hod. cap. I. col. 40 B et initio Quaestionis 89 [1].

Denique notari velim, quae leguntur in libro X. col. 1015: „(Diabolus) [2], cum esset infelix exterminatus, et ab axibus coelestibus exturbatus: postquam sic vidit formam et naturam nostram et divinis manibus formatam et divino Spiritu animatam, et *universae quae est sub sole creaturae reginam constitutam*; non ferens honoris nostri altitudinem, aemulatus est sceleratus, invidit, angore et dolore est

---

[1]) vid. supra pag. 78.

[2]) cf. col. 1012 A ad Gen. 3, 1: „Vel diabolum dicit ingressum, vel ipsum nudum appellat serpentem Scriptura. Mihi autem videtur prius melius secundo".

affectus.... Cumque omniaque speculatus esset ac lustrasset, ut qui simul sit et malignus et invidus, fraude sua valuit mulierem a viro seducere, eamque cum accepisset seorsum agentem ac separatam decepit". Quibus conferri licet, quae supra [1]) ex Hodego cap. 4 posui de diabolo invidente, quod homo esset rex constitutus super opera manuum Dei [2]).

Ex omnibus, quae hucusque attuli, collectis et comparatis conjici licet, hos in Hexaemeron libros XII ad eundem spectare cum Hodego auctorem.

Sed forsitan aliquis mihi objiciat locum illum libr. XI. col. 1037 A [3]), ubi dicitur: Noe ausum non esse filium suum Cham execrare, postquam a Deo post diluvium benedictus fuisset, et ideo non dixisse: „Maledictus Cham", sed „maledictus Chanaan" [4]), quum tamen in Hodego [5]) dicat:

---

[1]) pag. 80.

[2]) Omisi locum in Graecis, ut poto, insignem, sed in Latina versione non satis perspicuum. Locus autem hic est (lib. III. col. 879 A): „Aqua illa, quae prius erat congregata sub coelo, divisa est in multa loca, et multis modis. Aqua in abysso, ecce una congregatio: aqua oceani, ecce rursus etiam alia congregatio: mare ipsum Rubrum *et quod est nobis propinquum*, ecce quarta congregatio". Qui locus sibi ipsi non ita convenit. Quum enim quarta congregatio memoretur, quae est secunda, quae est tertia? Et ipsum mare Rubrum, idemne est ac quod est auctori propinquum? Quodsi idem censendum est, aperte locus clamat ad Anastasium *Sinaitam*.

[3]) „Non invenies in tota Scriptura legis, aliqua ex ore Dei fuisse benedicta, et rursus a Deo fuisse subjecta execrationi; et hoc perspicuum ex Cham filio Noe. Nam cum is se inique gessisset in nudatione patris, et postquam e somno excitatus Noe agnovisset filii Chami iniquitatem, non ausus est Noe execrari filium, quoniam fuit a Deo benedictus post diluvium cum duobus ejus fratribus. Quamobrem non dicit: „„Maledictus Cham"", sed „„maledictus Chanaan"", execratus eos qui ex ipso erant nascituri, et non Cham".

[4]) Gen. 9, 25.

[5]) cap. 8 col. 128 C: „Εἰπὼν ὁ Νῶε πρὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν στηλιτεύσαντα αὐτοῦ τὴν γύμνωσιν, ὅτι „Ἐπικατάρατος καὶ παῖς οἰκέτης ἔσται Χαναάν".

„Noe unum ex tribus filiis, Cham, execratum esse". Sed si accuratius attendamus, uterque locus optime eidem auctori convenit. Nam et auctor pro fine suo utrobique diversa agit, et in libro XI. in Hex. minime negare intendit, Noe execrationem ad filium Cham spectasse, licet verba in ipsum non caderent, quemadmodum in Hodego, quum eadem sacrae Scripturae verba allegaverit, tamen execrationem in Chamum incidisse concludit. Ergo non est quod diversum inde auctorem statuamus.

Postremo addere mihi visum est, quod auctor in libro III. col. 886 B testatur apertis verbis, „se mundanae Aegypto inprimis haec scribere", et quod Aegyptum summis laudibus effert [1]), utpote a Deo prae omnibus aliis terris gentilibus honoratam, quae Aegypti encomia se in alio libro proprio fusius celebrasse refert [2]). Quae omnia in Anastasium nostrum Sinaitam et Hodegi auctorem quadrant, quem in Aegypto plurimum versatum esse ex Hodego scimus.

Jam vero quomodo tempus, quo auctorem scripsisse conjici licet, Anastasio nostro conveniat, videamus. Memorat igitur in lib. VII. [3]) „*sex millia annorum jam praeterita a creatione mundi*". Sed notandum est, quod dicit [4]) „Christum incarnatum apparuisse meridie et vespere sexti diei, seu *quinquies millesimo et quingestesimo* anno [5]), quandoquidem, inquit, ad vesperam sexti diei in sui typum formavit Adam" Et paucis post: „Quoniam, ait, oratio pervenit ad ea, quae

---

Πότερον τὴν κοινὴν φύσιν τῶν τριῶν υἱῶν κατηράσατο, ἢ ἓν ἐκ τῶν τριῶν πρωσώπων; Εὔδηλον ὅτι μόνον τὸ τοῦ Χὰμ πρόσωπον. Ὥστε οὐ ταὐτὸν, φύσις καὶ πρόσωπον". Itaque auctor hoc loco id agit, ut non idem esse ostendat naturam et personam, ceteris non ita intentus.

[1]) lib. III. 886 et 887; lib. VIII. col. 978 et 979.

[2]) lib. VIII. col. 979 D. [3]) col. 939. [4]) col. 940 B.

[5]) Georgius Syncellus ex Panodoro mundum conditum refert a. 5493 a. Chr. n., Julius Afric. et Maximus a. 5501, Chronicon Alexandr. sive Paschale a. 5508.

sunt dicenda de quiete et consummatione septimi diei, non erit alienum, si aliquas Christi voces, quas dixit de consummatione, in medium adducamus. Nam in parabola quidem decem virginum dixit [1]), media nocte se ipsum tanquam sponsum e coelo venturum. Media nox autem censetur quarta pars noctis et diei: „Et factum est, inquit, vespere; et factum est mane, dies unus [2])". Dies autem Christi habet tempus mille annorum, *ut jam sit media nox praesentis diei septimi ducentesimus quinquagesimus annus.*" Itaque auctori jam praesens est dies septimus, i. e. sex millenaria jam praeterita. Quum autem Christum incarnatum apparuisse dicat meridie sexti diei seu anno quinquies millesimo et quingentesimo, dies septimus necèsse est ab anno quingentesimo post Christum natum incipiat. Ergo auctor post annum quingentesimum a Christo nato scripsit. Quod autem dicit, jam esse mediam noctem praesentis diei septimi ducentesimum et quinquagesimum annum, i. e. post Christum septingentesimum et quinquagesimum, haud obscure indicat, auctorem hunc annum et cum eo consummationam saeculi jam prope instantem habuisse, id quod optime convenit Anastasio nostro, quem ultra septingentesimum annum vitam prorogasse supra vidimus. Minime autem hoc calculo uti potuit Anastasius ille quartus Oudini initio saeculi IX., ut patet. Sed ne forte Anastasium meum in hoc calculo sanae rationis modum egressum esse existimes, audias velim, quae subjungat [3]). „Haec autem, inquit, interpretes dixerunt per conjecturam ad animi recreationem, non autem definiendo; neque enim ignorarunt eum, qui dixit: „De die illo et hora nemo novit, nec angeli Dei" [4]). Caeterum Deus, inquiunt, abscondit ipsum diem et horam; possunt autem tempora conjicere ii, qui habent sanctum

---

[1]) Matth. 25, 6.
[2]) Gen. 1, 5.
[3]) col. 941 B.
[4]) Matth. 24, 36.

Spiritum, qui cognoscit etiam profunda Dei" [1]). Conjicimus ergo, inquiunt, ex rebus et verbis Dei et Scripturae, quae de consummatione dicta sunt aenigmatice et occulte; sed verum exitum et finem saeculi solus scit Creator temporum et universorum. Quoniam autem nihil est adeo jucundum hominibus, et maxime in quibus habitat fascinum invidiae, atque maledieere et aliena evertere, in perniciem et eversionem auditorum: et sunt, ut est verisimile, nonnulli reprehensuri calculum et numerum annorum, quos diximus in sex vespertinis crepusculis et meridiebus annorum millenariorum, paucis fortasse annis deficientibus aut etiam redundantibus; ad eos quidem, qui sunt digni, ut reddantur certiores, illud respondemus, quod hujus rei causa orta est ex iis, qui certis temporibus fuere chronographi, qui in numerando non consenserunt. Secundo autem sciendum est, quod aliter computant Hebraei annum, et aliter Romanae Ecclesiae traditio; nam illi quidem trecentorum quinquaginta quatuor solum dierum annum numerant". Ex his verbis Anastasium nostrum saniorem fuisse intelliges, quam quis ex iis, quae ante allegavi, forsitan conjecerit. Sed haec quidem de hoc Anastasii calculo atque tempore, quo scripsisse auctorem ex ipso libro eruimus. Jam vero opponat mihi forsitan aliquis locum illum, qui exstat lib. XI. col. 1034 A his verbis: „Dissecor et tui rursus teneor admiratione (tibi Judaeo rursus dico), quomodo ad mille annos haec recte legens (sc. ut ex contextu patet: „*Ipse*" observabit caput tuum, non „*ipsa*") [2]), nondum cognovisti eam, quae est in ipsis veritatem, cum tu me potius deberes

---

[1]) I. Cor. 2, 10.

[2]) Gen. 3, 15 secundum Septuag.: „αὐτός σου τηρήσει κεφαλήν". Ad haec auctor noster: „De muliere loquens, ait, et ejus semine, quomodo ad masculum traduxit orationem, dicens: *Ipse* observabit caput tuum &c." (col. 1033 D).

illuminare, ut qui ea a Deo acceperis, et cui ea sint credita". Quid sibi vult istud „ad mille annos?" A quonam tempore auctor numeravit? Equidem censeo ab eo, quo primum Judaeus haec verba secundum mentem auctoris recte legit in genere masculino. Atqui hoc primum factum est in versione Septuaginta interpretum, cum Hebraica vox הוא sit generis communis. Hanc autem versionem Alexandrinam et quidem imprimis Geneseos factam esse regnante Ptolemaeo Philadelpho (ab a. 284 — 246 a. Chr. n.) fere omnes consentiunt. Ab hoc autem tempore usque ad tempus nostri Anastasii, qui anno 700. post Chr. superstes fuit, re vera sunt ad mille anni. Itaque ut hic locus dissentiat, tantum abest, ut vel maxime per se ad Anastasium nostrum clamare videatur. Dubium ergo nullum superesse puto, quin hi etiam libri XII in Hexaemeron ad Anastasium nostrum Sinaitam et Hodegi auctorem spectent.

Nunc restare mihi visum est, ut aliquos quasi flores ex his libris excerpam.

Itaque de diversa in interpretandis Scripturis ratione auctor haec ait:[1] „Apparet, quod non sit recusanda memorabilium interpretum diversa in divinis Scripturis acceptio: ex ipso enim divinitus inspirato fundamento hoc facere didicimus. Unde etiam aequum est, audire Mosaicos et propheticos et Davidicos sermones, aliquando quidem accipere aquas pro gentibus, aliquando autem pro tentationibus, aliquando vero pro divinis disciplinis, et pro sancto Spiritu, et pro gratia baptismatis. Quomodo etiam coelum aliquando quidem significat ipsum firmamentum, aliquando autem etiam coelestes potestates, aut etiam cor omne, super quod Deus requiescit. Montes quoque multis modis intelliguntur: accipiuntur enim pro coelis, et pro Ecclesia, et pro angelis, et pro altari, et pro adversariis potestatibus,

---

[1]) lib. III. col. 877 B seq.

et pro sancta Virgine et Dei Genitrice. Similiter etiam fluvii et fontes, et plantae et terra et tenebrae, nubes et venti: et omnis aspectabilis et inaspectabilis creatura multifariam multisque modis intelliguntur a divinis patribus, ne inopia cognitionis laboret Spiritus sanctus, non valens, sicut pluvia plantis, donare diversam gratiam in esculentis eorum fructibus: est enim facie multiplex, multamque habens lucem aqua divinae Scripturae, quae scaturit ex uno fonte sancti Spiritus."

Hac ratione omnes res creatas auctori etiam praesignificare Christum et Ecclesiam, jam supra uberius allegavi, mentem auctoris in componendis his libris ostendens [1]. Et ita quidem „aer quoque est ei typus Divinitatis et figura, quae non possit exinaniri. Quomodo enim, inquit, aer est ubique et implet omnia, ita etiam divina natura praesens in universitate eam ita implet, ut exinaniri nequeat . . . Et quomodo aer est tenebricosus et lucidus, primum autem est id, quod est tenebricosum: ita etiam Divinitas est tenebrae nolentibus, lux autem volentibus. Primum autem est id, quod est tenebricosum, quoniam primum ignoratur et tunc agnoscitur. Et quomodo aer veluti intractabiliter et insensibiliter est etiam perfectior, cum scinditur ad hoc ut permoveat secans corpora; ita etiam Deus iis, qui ipsum volunt medium pervadere et tanquam per penetrationem, quoad ejus fieri potest, ei uniuntur insensiliter, ipse etiam aperitur cum perfectione, et qui novit, ipse scit, ut qui sit deificatus. Et quomodo aer, et quod est extrinsecus continet, et refrigerat quod est intra animal, est autem magis necessarius usus, qui est intrinsecus; ita etiam Deus id quidem quod est extrinsecus continet castris angelorum, ut qui sint salutares spiritus, sed et per se in ipsos operatur vivificationem aut revivificationem. Hi autem soli divino

---

[1]) vid. pag. 104 seqq.

illo privantur aere, quia elegerunt natationem super pectus et ventrem per humorem peccati“ [1]).

„Terra autem in principio invisibilis [2]),“ ut legit auctor, est ei „genus humanum sive Ecclesia ratione praedita, quae non solum non videbatur, sed nec videbat: hoc est, statim ab ortu erat sine oculis et caeca: quam excaecavit princeps tenebrarum hujus saeculi [3])“. Et ideo „dixit Deus: „Fiat lux“, hoc est, „Christus, vera lux, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, veniat ad generationem, ut illuminet et liberet homines“ [4]).

Duo porro luminaria, quae fecit Deus quarto die in firmamento [5]), sol et luna, item ei praesignificant Christum et Ecclesiam. „Nam, ait, cum fecisset Deus haec duo luminaria, statim solem fixit ad ortum firmamenti, lunam autem ad occasum, nos docente hoc exemplo, quod in principio adventus Christi, ipso Christo splendente in carne super terram, Christi non splendebat Ecclesia: adhuc enim stabat in occasu peccati. Cum autem Christus occidens, in coelos accessisset ad Patrem, tunc orta est luna, tunc suam ostendit operationem, tunc illuminavit eos, qui erant in tenebris, tunc principatus et potestates et principes tenebrarum hujus saeculi conculcavit, subjiciens omnem obscuram ac tenebrosam diabolicae operationem fraudem et potestatem“ [6]), „habens gubernationem et administrationem auctoritatis aquae et sancti Spiritus, qui ei tanquam lunae a Christo sole datus est et creditus, ut nos per ipsam generemur et regeneremur, donec promota sit et praeterierit nox hujus saeculi et rursus exortus fuerit Christus sol justitiae“ [7]).

Aquae [8]) autem, quas educere jussit Deus quinto die

---

[1]) lib. I. col. 862. [2]) Gen. 1, 2. [3]) lib. I. col. 863 A.
[4]) ibid. B. [5]) Gen. 1, 16. [6]) lib. IV. col. 923 AB.
[7]) ibid. D. [8]) Gen. 1, 20.

reptilia animarum viventium et volucres volantes super terram, sunt aquae baptismatis, quod in terra est „ostium nostrum et via ad Christum per Ecclesiam, sicut in coelis ostium nostrum et via ad Patrem est Christus“ [1]. „Nam in coelis quidem primas partes et primum locum obtinet sol Christus“ [2]. „In terra autem, ubi humiliavit se ipsum, servi formam accipiens, voluntarie dedit primas partes tanquam proprio suo corpori, Ecclesiae: dico autem mysterio baptismatis“ [3]. Porro animalia, ex aquis genita [4]), sunt Christiani; „animalia vero a terra orta [5]), Judaei, ut qui terrena sapiant nec habeant conversationem in coelis“ [6]).

De eo autem loco: „Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram“ [7]), haec disserit: „Convenienter, inquit, rationi anagoges, Christum hic intelliges, in quo dicitur illud: „Faciamus hominem“, quando suscepit hominem; illud autem: „Faciamus“, non solum dicit Pater et Spiritus, hic quidem ut approbans et ratum habens, ille autem ut praeparans; sed etiam Filius ut Deus consentit de eo, quod est faciendum, ut ipse quoque cernatur amplecti humanae naturae susceptionem“ [8]). Vox autem illa: Faciamus“, divinam ei Trinitatem significat [9]), circa quod hanc affert narratiunculam: „Cum aliquando, inquit, hanc vocem proferremus apud quendam ex Hebraeis, multae enim et saepenumero cum eorum genere ortae nobis sunt controversiae ac contradictiones plane extemporales, contra dixit improbus, regem aliquem, et si sit solus, posse dicere illud: Faciamus; et illud: Jussimus. Cum autem nos occurrissemus et dixissemus: Et cur ante creationem hominis non cernitur Deus in aliqua alia quaecunque ea sit creatura usus esse hoc verbo: Faciamus; et dixisse nisi in solo homine et

---

[1]) lib. V. col. 918 D. [2]) col. 918 C. [3]) ibid. D.
[4]) Gen. 1, 21. [5]) ibid. v. 24. [6]) lib. VI. col. 924 A.
[7]) Gen. 1, 26. [8]) col. 930 C. [9]) col. 931 A.

rursus in muliere, quae postea fuit facta, quando dixit: „„Faciamus ei adjutorium““: ad haec nulla erat vox Judaei neque rursus contradictio“ [1]). — Distinguit autem auctor id, quod est ad imaginem et id, quod est ad similitudinem hoc exemplo: „Id quidem, quod est ad imaginem Trinitatis, in essentia incorporeae et intelligentis et materiae expertis et incomprehensibilis animae nostrae: omnes homines habemus similiter. Id autem, quod est ad similitudinem, ii soli habent, qui seipsos recrearunt ea vitae institutione, quae est ex virtute, qui Deum habent in se inhabitantem, et gratia quodammodo sunt veluti Christi, in divinitate simul et humanitate. Propterea... illud: Ad imaginem, est a Deo creatum et in nobis naturale; illud autem: Ad similitudinem, est vitae institutio, quae libera electione suscipitur, et per vitam, quae ex virtute agitur, inducitur et assumitur. Propterea hoc nos docens, qui cum Verbo idem habet nomen, theologus Joannes dicit: „Filioli, nunc sumus filii Dei“, per baptisma, „et nondum manifestatum est, quid erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est“ [2]). Vides, quod post sanctum baptisma dicit vitam, quae ex virtute agitur, generare, quod est ad similitudinem“ [3]). Hinc graviter perstringit eos, „qui in sola maneant littera et dicant corporalem piscium et volucrum et bestiarum omnium auctoritatem esse illud: Ad imaginem et similitudinem Dei in homine“ [4]). „Neque enim, ait, ille praecursor Joannes, qui est major omnibus inter natos mulierum, neque Petrus, ille summus et antiquissimus vertex sanctorum Apostolorum, omnibus dominati sunt“ [5]). Sed neque gloriosissima illa Dei mater. „Ubi enim, inquit, imperavit illa, aut est dominata bestiis et piscibus, et volucribus, aut universae terrae, quae a facie Herodis migravit in Aegyptum? Et quis, dic mihi, quaeso, aut ex hominibus

---

[1]) col. 931 B. [2]) I. Joh. 3, 1. [3]) col. 931 CD.
[4]) col. 933 C. [5]) col. 933 D.

aut ex daemonibus audebit dicere, quod ea, quae est ejusdem simul cum Deo essentia, quod ad carnem attinet, non sit ad imaginem et similidutinem ejus, qui ex ipsa natus est; quomodo enim est mater hujusmodi filii, non ferens in se integram et illaesam fetus sui imaginem“ [1])? — „Caeterum“, auctor perpulchre ait, „non in ejicendis daemoniis, nec in signis faciendis Dominus definit perfectionem hominis, qui est ad Dei imaginem et similitudinem, ut quando dicit: „Dicent mihi in illa die: Domine, annon in tuo nomine multas virtutes fecimus? et dicam eis: Amen dico vobis, nescio vos [2]). Sed „Diligite“, inquit, „inimicos vestros, et benedicite iis, qui vos execrantur; benefacite iis, qui oderunt vos, et orate pro iis, qui vobis insultant, ut sitis similes Patris vestri, qui in coelis est“ [3]); in virtute charitatis definiens esse ad Dei similitudinem. Quomodo et per Paulum loquens eadem usus est regula et definitione, quando dicit: „Etiamsi linguis hominum loquar, et sciam mysteria omnia, et omnem cognitionem et omnem habeam fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest“ “ [4]).

Porro Adamum typum fuisse Christi, passim fusius explicat, ut libro VII [5]): „Ab esu, inquit, Adam passus est mortem; quamobrem Christus quoque, cum surrexisset ab esu coenae, venit ad passionem et mortem. Per Evam passus est Adam; similiter etiam Christus passus est propter

---

[1]) col. 936 B. Eandem Beatissimam Virginem libro XII. col. 1053 B vocat; „τὴν λεγομένην ζωὴν, τὴν μητέρα τῆς ζωῆς, ζωηφόρον σκηνὴν τῆς ἀκηράτου φύσεως, τὴν Θεοτόκον καὶ Θεοδόχον καὶ Θεοτρόφον, Πάρθενον καὶ Ἀειπάρθενον Μαρίαν“.

[2]) Matth. 7, 22. 23

[3]) Matth. 5, 44. 45; Luc. 6, 27. 28.

[4]) I Cor. 13, 2; col. 935 C, ubi verba: „charitatem ... habuero“ desunt casu nescio quo.

[5]) col. 944.

Ecclesiam. Et, ut paucis dicam, comedit Adam, fugit, latuit in horto, quaesitus, inventus, condemnatus fuit: similiter etiam Christus comedit coenam, voluntarie fugit in montem Olivarum oraturus, latuit in horto torrentis Cedron, quaesitus est à Judaeis et inventus est a Juda signum dante osculum, ejectus est illinc vinctus in horto sicut Adam ex paradiso, probroque et ignominia est affectus, lignum portans humeris, et factus execratio et maledictum, condemnatus est propter eum, qui fuerat condemnatus.... Et egressus extra Jerusalem mortuus est propter protoplastum, qui mortem subierat, ex horto egressus". „Tria ligna erant in paradiso: unum quidem, ut vesceretur homo; alia autem duo, alterum quidem lignum vitae, alterum autem lignum cognoscendi bonum et malum: propterea tria quoque ligna confixa sunt in horto Golgatha seu Calvariae, ubi Adam jacebat mortuus [1]). Unum quidem lignum latronis qui fuit servatus, ut per ipsum percipiamus non diffluentem fructum theologiae, sicut ille paradisum" [2]). „Crux Christi est lignum vitae, in quo in altum sublatus fuit botrus maturus, et vita nostro ante nos visa et suspensa". „Lignum autem cognoscendi bonum et malum, fuit crux blasphemantis, quae in bonum quidem illi fixa fuerat, si voluisset; in malum autem ei cessit, cum temere ab ingrato animo linguam extendisset, et pro Dei laudatione Deum blasphemasset. Tres rei peccarunt in paradiso, Adam et Eva et serpens, ex quibus duo quidem sunt servati, unus autem periit. Cum ita propterea tres rei penderent in Calvaria, (nominabatur enim etiam Dominus „peccatum") [3]), unus latro ingratus, cum esset typus diaboli et serpentis et Judae qui se in ligno suffocavit, periit. Nam quomodo scriptum est, quod dolo deceptus est Adam, ita etiam Judas osculo et dolo fecit proditionem: et quomodo dictum est, quod dia-

---

[1]) col. 944 D. [2]) col. 945 A. [3]) II. Cor 5, 21.

bolus ingressus est serpentem [1]), ita etiam scriptum est quod ipse Satanas intravit in cor Judae [2]) discipuli Christi. Fuit autem aliquando quoque Satanas in coelis discipulus Christi cum caeteris sanctis discipulis, cum angelicis inquam Virtutibus, immo erat unus ex principibus. Quamobrem Judas quoque erat unus ex summis discipulis" [3]). „Omnia, igitur, inquit, invenies similia in Adamo primo et Adamo secundo: Adami soporem adducentem in extasin et mentis excessum; Christi soporem in cruce et latus nudatum ad vulnerationem; nudationem post esum Adami et nudationem post coenam Christi: vestes enim exuit; proditionem per serpentem et proditionem per filium viperae dicipulum; spinas cum tribulis, et spinas in capite Christi; tristitiam in pariendis filiis, et tristitiam conturbantem Christi animam usque ad mortem; sudorem immistum pani cum labore, sudorem tanquam guttas sanguinis; romphaeam obstruentem ingressum Edem, et romphaeam aperientem latus Christi. Illic diabolum et serpentem, hic Pilatum et Caipham; illic indumentum ex ficu, et hic indumentum ex linteo" [4]). Similiter etiam in tentatione et lapsu Adamus Anastasio meo Christum praefiguravit. „In medio, inquit plantarum fuit tentatio Adami in fonte Edem: et secunda tentatio in monte Olivarum in medio arborum Christo est exhibita surgenti ex fonte Jordanis. Primus homo tentatus est, cum esset in medio bestiarum: similiter etiam de Christo dicit Marcus [5]), quod erat cum bestiis in deserto tentatus. Cum in paradiso jejunaret et nihil adhuc comedisset homo, diabolus per cibum exercuit tentationem: similiter etiam ad Christum cum jejunasset quadraginta dies, per cibum accessit malignus dicens: „Dic ut lapides isti panes fiant" [6]). Illic dixit serpens: „Eritis sicut dii"; et huic dixit: „Si filius Dei es, dic". Prima tentatio fuit per

---

[1]) cf. supra pag. 113 not. 2. [2]) Joh. 13, 27. [3]) col. 945. [4]) col. 946. [5]) Marc. 1, 13. [6]) Matth. 4, 3.

interrogationem et contrarias objectiones a muliere et serpente: similiter etiam Domini tentatio secuta est contradictorie inter ipsum et malignum daemonem" [1]. „Cum autem mulier, a daemone decepta, reversa esset ad eum quem reliquerat, vir eam non increpavit, non contumelia affecit, non repulit: sed cum ab ea, vel potius pro ipsa accepisset fructum ligni, prompto et alacri animo eum gustavit. Fructum ligni intellige mortem Christi in cruce: quam pro Ecclesia tanquam pro uxore sua ab ipsa accepit et triduo gustavit, ut pro omnibus gustaret mortem, congruenter voci Pauli" [2]. Sed haec quidem de primo et secundo Adamo.

Duo autem ligna in medio paradiso posita [3], dicit forsitan fuisse symbola virtutis et vitii, et virtutis quidem frugiferum datorem esse Christum [4]. Censet autem propter hominum, qui et bovem et muscas inter Deos retulissent, inexplebilem idolorum insaniam Deum in Scriptura Mosaica Angelos silentio praeteriisse, ne si didicissent, esse aliquas naturas materiae expertes et intelligentes, eos in deos referrent [5]. Flumen deinde ex Edem egrediens et quattuor fluvios [6] interpretatur de Christo, Ecclesiam [7] custodiente, irrigante, illuminante, adversos hostes (Assyrios) protegente, cum ea perpetuo permanente [8]. Iidem quattuor fluvii ei

---

[1]) col. 1020 C. [2]) Hebr. 2, 9; col. 1020 A. [3]) Gen. 2, 9.
[4]) lib. VIII. col. 972 C. [5]) ibid. [6]) Gen. 2, 10 seqq.

[7]) Ecclesiam enim significat terra Evilath. „In omnibus enim locis terrenis quae sunt manifesta, non est locus qui vocatur Evilath.... Evilath autem interpretatur parturiens et pariens", qualis est Ecclesia gentium, quae aliquando quidem erat sterilis, nunc autem foecunda in Domino. Aurum autem illius terrae Evilath est „Divinitas quae in Ecclesia resplendet et adoratur". (col. 975.)

[8]) col. 975—982. „Convenit prudenter animadvertere, quemadmodum Phison quidem dicitur circuire totam terram Evilath, seu parturientem; Geon autem similiter continet custodiens qui in eo sunt populos eorum qui prius erant Aethiopum: Tygris autem eam protegit et defendit adversus

significant etiam quattuor Evangelistas, ex quibus Matthaeum sermone Hebraico scripsisse dicit, ejusque evangelium postea a Luca et Paulo in vocem Graecam translatum esse [1]).

Loquitur etiam de Antichristo his verbis: „Quod Antichristus sit calcanei ille observator et persecutor (Gen. 3, 15), ipse nos docet Moses in hoc loco Genesis, leonem appellans Christum in benedictionibus Jacobi: „Catule leonis Juda, ex germine, fili mi, ascendisti" [2]), et quae deinceps sequuntur. In Deuteronomio autem [3]), in benedictionibus Mosis, quas praedixit duodecim tribubus, tanquam Christi adversarium introducens Antichristum prophetice divinus Moses, similiter etiam ipsum appellat catulum leonis, nos docens et tribum et locum, unde nascetur. Cum enim venisset ad prophetiam tribus Dan, dicit: „Catulus leonis Dan, et exsiliet ex Basan" [4]). Basan autem quidam dicunt esse Scythopolim, quae est propinqua Galilaeae: unde etiam Christus processit secundum carnem [5]). Locum autem tibi nunc ostendit Antichristi necessario, undenam habeat exitum et motum: quandoquidem ante ejus adventum ejus deceptio multos homines praeveniens decepit, dicentes quod ex quodam pago Leuchusi nascetur Antichristus. Hic autem fuit astus et machina diaboli, ut homines hunc ex Aegypto exspectantes credant et excipiant illum qui nascitur ex Galilaea, eum tanquam Christum adorantes qui plane est planus et Antichristus. Restat ergo ut nos ex Jacobi quoque praedictionibus congruenter ostendamus, ex tribu Dan procedere Antichristum et serpentem mordentem calcaneum equi, qui ita appellatur ut qui nunc in paradiso nobis pro-

---

improbos Assyrios. Non scriptum est autem magnum Euphratem neque transire, neque vadere, neque circuire, sed esse stabilem et immobilem, ut qui semper dicat: Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi." (col. 980 C.)

1) col. 984 A. 2) Gen. 49, 9. 3) Deut. 33, 1 seqq. 4) ibid. 22.
5) cf. quaest. 91. ex Bav. cod. in append. hujus opusc.

ponitur. Patriarcha enim cum Christo disserens sic dicit de Dan: „Dan judicabit populum suum sicut una tribus in Israel, et fiet Dan serpens in via sedens in semita mordens calcaneum equi, et eques cadet retro exspectans salutem Domini“ [1]). Ecce habes aperte serpentem et calcaneum summi de Antichristo et ostendere tibi casum eorum qui mordentur ab ipso“ [2]). „Hujus autem tempus observat et exspectat malus serpens, quo utetur tanquam instrumento, ad supplantandum rursus per cibum Ecclesiam: idque cum tunc sit futura fames“ [3]), „ad hoc ut ipsum et non Deum adoret“ [4]).

Ecclesiam autem vocat veram adjutricem [5]) hominis, „quam Deus fecit ad ferendam opem toti generi hominum: adjutricem non carnis et voluptatis, non seminis et sanguinis; adjutricem et conjugem et quae nequaquam fuit insidiatrix, sed salutaris, sed conservatrix, sed illuminans, sed benevola, peccata purgans, non faciens, in regnum Dei introducens, non ex eo expellens, adjutricem quae parit filios vitae et haeredes vitae aeternae; adjutricem quae magnos efficit apostolos et facit publicanos evangelistas theologos redditque meretrices virginibus honestiores; adjutricem quae vivificat mortuos et orbem terrae excitat ex mortificatione idololatriae; adjutricem invictam, adjutricem inexpugnabilem, adjutricem certando insuperabilem et infractam. Omnia regna, omnes progenies, omnes tribus et omnes linguae gentium ab ea sunt servatae. Ipsa jacentes erexit, ipsa curavit infirmos, ipsa recreavit creaturam. Et ideo de ipsa dixit Dominus Deus, de Ecclesia, inquam: Non est bonum hominem esse solum. Et propterea ei unitus est Deus Verbum, ut non sit amplius homo solus, sed cum Deo

---

[1]) Gen. 49, 16—18.
[2]) lib. X. col. 1018.
[3]) lib. XI. col. 1034 B.
[4]) lib. IX. col. 998 CD.
[5]) Gen. 2, 18.

totus, non solum in una quidem hypostasi, sed etiam quando ei per virtutem unitur" [1]). Ipsa etiam Ecclesia est illa mulier (Gen. 3,15), quam inter et serpentem Deus inimicitias posuit [2]). Et quantas inimicitias! „Non enim vides, inquit, enses et sagittas potentis Dei acutas, per quas adversas serpentem stat armata in acie et proelio, armatura undique munita, et accincta gladio spiritus, galea spei, lorica fidei, clypeo baptismi? Non vides invicta arma, in quibus conterit et aufert caput serpentis? Crucem, inquam, *corpus et sanguinem Jesu*, vota, preces, vigilias, et alia, quae molitur adversus serpentem" [3])? „Et non dixit Deus: „inter mulieres", sed „inter mulierem", quoniam ceterae omnes quae sunt in mundo fides, praeter solam Christi Ecclesiam, sunt amicae serpentis" [4]). „Sola etiam Christi Ecclesia dicitur vita et mater viventium. Nam reliquae fides quae sunt in mundo omnes sunt mortuae et matres mortuorum populorum et gentium, ut quae in se non habeant eum qui dicit: Ego sum vita, neque regenerant et vivificant per uterum aquae et Spiritus, suos filios et populos: sed sunt sine semine et viduae fontis vitae, non fruentes aqua viva et saliente in vitam aeternam" [5]).

In hujus igitur Ecclesiae Christi laudibus totum etiam hujus operis finem insumit, qui locus, etsi sit longior, tamen pulcherrimus mihi visus est dignusque, qui integer hic allegetur, praesertim quum vel maxime ex eo eluceat, quanto Anastasius noster erga Ecclesiam amore et studio inflammatus fuerit. Simul ex eo intelligi licet, quomodo, quae secundum litteram dicuntur in Genesi, Anastasius explicet secundum anagogen de Ecclesia. Salutat igitur Ecclesiam fere in modum salutationis Angelicae [6]):

---

[1]) lib. IX. col. 993 CD. [2]) lib. XI. col. 1031 seqq.
[3]) col. 1032 B. [4]) col. 1035 seqq. [5]) col. 1049 B.
[6]) Luc. 1, 28. 42; col. 1071—1077.

„Benedicta tu, inquit, inter mulieres, sola vita et genitrix vitae, mater fidelium, mater illustris, Ecclesia Christi, conjux spiritualis Adae Dei, et benedictus fructus ventris tui, multitudo nationum viventium; tu enim sola possedisti hominem per Deum sine semine, nempe Verbum per se subsistens, quando cognovit mulierem suam, quam prius condidit, sed quae eum ignorabat neque ad eum convertebatur. Tu costa et pars Adae Dei, cum quaelibet alia fides ab eo extranea sit et peregrina; te aedificavit sibi in domum et mulierem, reliquis omnibus mulieribus tibi dissimilibus ecclesiis, quae in orbe sunt, relictis et in errore manentibus. Tu sola os ex ossibus solidae divinitatis ejus, et caro ex carne humanitatis ejus, in qua abscondit divinitatem suam incomminutam; os enim non comminuetur ex eo. Tu sola etiam a viro tuo excepta es, et concepisti et peperisti ab eo, et nulla alia, cum reliquae fides ex viro suo serpente concipiant et pariant. Tuo amore correptus amator tuus Jesus repugnantem populum Judaeorum et matrem suam adulteram Synagogen reliquit, et conjunctus est tibi, uxori suae prorsus incorruptae, et facti estis duo in unam carnem, in unam animam, in unum cor, in unum corpus, in unum sanctum corpus, in unum Christum, in unam fidem, in unum gregem, in unum pastorem, quum omnes reliqui greges et populi multos pastores et seductores habeant. Te Deus utpote speciosam ad Filium suum mulierem adduxit, cum reliquae omnes mulieres quasi meretrices et adulterae, foras vagentur et inquinentur. Tibi etiam soli evangelizavit, ad virum tuum Christum fore conversionem tuam, quum reliquae Synagogae minime ad eum convertantur. Quare benedicta, iterum dico, tu in mulieribus, tu sola, o multis coronis redimita et multos filios enixa et multa luce fulgens Ecclesia Dei Christi, tu sola benedicta in mulieribus; nulla alia; tibi enim soli dominatur Dominus dominorum, quum reliquis omnibus populis dominetur serpens. Tu es inimica et pugnatrix invicta et

interfectrix serpentis, quum reliquae omnes fides ei amicae sint et propriae et dilectae ab eo. Te etiam solam vitam vocavit, vitam ferentem, matrem omnium nostrum, qui per te vivimus, quum reliquae fides sint vitae expertes et mortuae peccato. Sic etiam te solam vestivit et ornavit quasi propriam nympham, reliquas vero vagabundas synagogas, retectas, inornatas, nudasque coelesti velamento deseruit, quippe quae sub umbra alarum ejus non confugerint. Tui etiam solius, o incorrupta, est divinum verbi semen, hostis et interfector sobolis serpentis, ex quo omnis alia fides concipiens serpentes parit et viperas et scorpios, populos nempe infensos, utpote genimina viperarum. Tu sola observas et conteris et interficis et sepelis caput multicipitis draconis, in aqua baptismatis suffocans et interficiens eum. Te quippe solam vir tuus ad imaginem et similitudinem suam fecit conformem gloriae Dei, quum omnes reliquae synagogae conformes sint imagini inimici tui. Tibi soli benedixit Deus ut cresceres et multiplicareris et repleres terram filiis, reliqua autem natura quidem urbana scortilla absque benedictione reliquit. Te Christus dominam et principem et reginam constituit volucrum coeli, sanctorum angelorum, et pecorum terrae, gentium, et piscium prorsus ineffabilium [1]), et tanquam subdita mancipia infideles fidelibus subjecit [2]). Te solam frui donavit sincera et incessabili voluptate et ligno vitae, quum reliquae mulieres canum instar ejulent et gustandi coelestis panis expertes sint. Tu sola pulchre colis et custodis paradisum tuum, longe fugans a vinea lupos et vulpes, qui infidelium arva inculta et zizaniorum feracia velut incustodita corrumpunt. O rem

---

[1]) Puto Christianos hic respici ab auctore. Latinus interpres dedit „mutorum piscium", (τῶν ἰχθύων πάντη ἀλόγων), quod non ita placet. Auctor enim immoratur in anagoges ratione. cf. col. 915 seqq.

[2]) Sic mihi placuit; cf. tamen notam 38. ad hunc locum (col. 1074.).

miram! Tu sola facta est adjutrix homini, adjutori et protectori tuo Deo, laborans, docens, praedicans, illuminans, convertens, vocans ad eum tanquam lucem omnes eos, qui in tenebris et umbra mortis sedent; gignens et pariens, pane nutriens et calice potans, augens et fructificans, inserens, plantans et quotidie curans hortum tuum et paradisum tuique gregis parvulos. Quapropter cum tali sis industria domi custos, viri amans, pia, fortis, adjutrix, armata, pugnatrix, semperque prompta et ultro parata pro viro tuo Ada Christo animam ponere et ejus causa periclitari, ideo tibi quasi reginae constituit et subjecit Cherubim fammeis gladiis instructa, quae tibi immortalem et incorruptam vitam aeternam custodiant. Te Seraphim tueantur, te sex alis praedita tegant, throni cessent, multis oculis videntia cernant, tibi principatus serviant, potestates ministrent, virtutes ancillentur. Te reges adorent, sacerdotes glorificent, nationes exornent, linguae dilaudent".

„Quoniam igitur tu sola, neque ulla alia, a viro tuo Christo talem et tantam gloriam et honorem sortita es, oro te et obtestor, utpote matrem meam et nutricem a teneris unguiculis et a majoribus, ne desinas purum verbum tuum et animum tuum, lac e mammis, mihi largiri, ut ex te tuos quoque agnos discipulos bene lactem. Ne desinas, incorrupta columba sancti Spiritus, Ecclesia Dei, in corde meo manere et inambulare et multos per me pullos parere. Ne dedigneris, o viri unius amans Christi turtur, ex ore tuo cibum sationis in os meum inserere, ut inde te tuique niduli pullos vicissim nutriam: ne cesses, o coelestis luscinia, suavi cantu tuo et modulatione aures meas demulcere, ut semper nidulo tuo circumvolitans, pullos tuos oblectem. Ne moreris, o perennis fons vitae paradisi, e speculatione tua Edem scaturire nobis aeternos et limpidos tuos latices, ut aqua viva saturari possint rationales isti et animati ovium greges. O pulchra et coronis redimita horti cultrix, ne defatigeris nos inoculando et emplastrando, ut vicissim

propagines tuas pulchre disponere et inoculare possimus. O luna semper lucida, ne cesses praeire nobis per noctem impietatis et Scripturarum tenebras et difficultates. O conjux et comes te circumradiantis viri tui solis Christi, ne desinas radium ex eo nobis infundere, ut ita per te multis luminaribus accensis, ea tibi rursus appendam. Jo Dei thesaure, oro te et obtestor, purum et regium verae tuae imaginis argentum abunde nobis porro suppedita, ut illud in trapezitarum tuorum animas demittens, ita te per eos ditem. Denique ut te iterum vero nomine compellem, o quae adjutrix viro tuo a Deo facta es et cognita, perge, precor, nos tueri nobisque in omni tempore et loco et actione auxiliari: nobis, inquam, qui legatorum tuorum munere fungimur, qui corpus et animam nostram propter te ultro ponere parati sumus, et quantum pote est, alacriter adjutrici nostrae succurrimus, et quotidie propter te mortem oppetimus, et propriam cervicem gladio objicimus, et propter te proprium sanginem nostrum strenue fundimus, quique adeo omnem hunc certaminis cursum contra hostes tuos pro defensione tua generosi subimus, ut exaltetur cornu tuum et ut adversarios tuos subjiciamus duobus cornubus Dei tui et Agni, duabus inquam naturis et operationibus“ [1]).

Hic igitur est finis totius hujus operis in Hexaemeron, Anastasio sane quam maxime dignus et conveniens, ut quem jam in Hodego Ecclesiae veritatem fortissime propugnantem viderimus. Quae autem Anastasius in his libris de sacra Eucharistia habeat, proprio loco videbimus [2]).

Caeterum ille locus libr. VII. col. 949 et 950, qui incipit: „Nam septem dies“ et desinit: „Dominus surrexit a mortuis“, ex quaestione V. [3]) interpolatus videtur neque ita cohaeret.

---

[1]) Sic conjectavi. Locus enim est mutilus. (cf. col. 1077.)
[2]) vid. infra cap. VIII. [3]) col. 368.

Insuper autem haec mihi notanda visa sunt:

Refert, discipulum illum alterum cum Cleopha ab Jerusalem Emaus petentem [1]), Lucam fuisse, sed addit: „ut dixerunt mystae“ [2]). Memorat „varias haereses a quibusdam hominibus natas, qui carnaliter audierunt quae de Deo et paradiso dicuntur in Genesi, aliis quidem statuentibus, Deum habere formam corporis, aliis autem serpenti magnas offerentes gratiarum actiones, utpote quod per ejus consilium et factam praevaricationem ex muliere sit generatum totum genus humanum [3]); qui quidem merito etiam appellantur Ophitae. Manichaei autem simul et viri et mulieres nudi congregantur in suis ecclesiis ad imitationem Adami et Evae. Alii autem increatam ignis adorarunt naturam, propterea quod nulla inferatur ignis mentio in universa sex dierum creatione. Alii aquam coluerunt tanquam increatam, quoniam non scriptum est: „Et dixit Deus: Fiat aqua“. Alii, ex quibus sunt Persae, cum sororibus et matribus contraxerunt matrimonium, propterea quod nostri primi parentes conjungerentur cum suis matribus et sororibus. Sunt etiam quaedam haereses, quae Deum accusant, quod non prohibuerit, ne malignus Evam seduceret per serpentem. Alia autem rursus haeresis decrevit bestiarum quoque animas esse ratione praeditas, quae possunt orationem audire et excolere, cum audiisset Deum benedicentem volucribus et piscibus et exsecrantem serpentem, et adducentem ad Adamum bestias et volucres et jumenta, ut sciat, quidnam ea nominet“ [4]). Reprehendit scelestos Manichaeos [5]) eorum-

---

[1]) Luc. 24, 13. [2]) col. 1022.

[3]) „Dicunt“ enim „quod per serpentem nobis accessit cibus; per cibum recuperatio visus; per eam deinde nuptiae, per nuptias autem mundus; propter hominis autem peccatum, Deus homo factus est. Hinc coelorum regnum et bona aeterna, quorum auctor et conciliator fuit nobis serpens“. (col. 1021 C.)

[4]) col. 963. [5]) col. 982 B.

que ducem Manetem [1]), „quibus visum esset, mendacem esse Deum, qui locutus est vetus Testamentum“. Refert Manichaeos „existimasse duas esse contrarias potestates divinitatis, serpentem et Opificem, quae in acie inter se decertarint in paradiso: et bonum quidem Deum esse creatorem animae, qui est etiam homo ad Dei imaginem; malum autem deum esse effectorem corporis, quod bellum gerat adversus animam“ [2]). Memorat „haeresin Encratitarum abstinuisse a nuptiis et muliere, tanquam a re mala et insidiosa; similiter etiam ab arborum fructibus, ut qui sint peccati efficientes, propter arborem, quae dicitur inobedientiae“ [3]). Scribit „Hebraeos ex libro, qui non est redactus in Canonem, qui quidem dicitur testamentum protoplastorum, dicere quadragesima die ingressum esse Adam in paradisum; sicut etiam videatur cuidam historico chronographo Pyrrhoni, et quibusdam expositoribus“ [4]).

Expositores autem Ecclesiarum veteres laudat Philonem philosophum et tempore aequalem Apostolis, Papiam celebrem et Joannis Evangelistae discipulum, Irenaeum Lugdunensem, Justinum martyrem et philosophum, Pantaenum Alexandrinum et Clementem Stromateum eorumque asseclas, qui ea quae scripta sunt de paradiso, spiritualiter intellexissent de Christi Ecclesia, ex quibus etiam duos illos in omnibus rebus doctissimos Cappadoces Gregorios fuisse [5]). His addit „divinum in omnibus Ambrosium“ [6]). Recentiores autem Patres celebrat Basilium, et Christi fluvium Joannem Chrysostomum, et Theodorum Antiochenum [7]), et Severum Gabaleoten, et Eusebium Emesenum, et verbis et factis beatissimum illum Epiphanium, et Dei interpretem Cyrillum, et Theophilum, qui omnes secundum litteram ea, quae

---

[1]) col. 991 A. [2]) col. 1036 B. [3]) ibid. C. [4]) col. 967 D.
[5]) col. 961 et 962. [6]) col. 966 B.
[7]) „Θεόδωρον τὸν ἐλεεινὸν ὄντως Ἀντιοχέα“. Latinus interpres: „vere mirabilem“? forsitan preli vitio pro: „miserabilem“.

scripta sunt de sex diebus, exposuissent missis allegoriis et anagogis [1]). „Hoc autem eos fecisse propter inanem laborem Origenis, qui universam sex dierum creaturam ad fabulosam deduxisset allegoriam neque quidquam secundum litteram intellexisset“ [2]). „Quamobrem jure quoque Synodica sententia eum depositum et rejectum esse. Oportere enim primum admittere historiam, quae conveniat litterae, deinde ubi oporteat procedere ad anagogas“ [3]). Eundem Originem „infelicem vocat, quoniam cum multos et utiles sudores emisisset in Ecclesia et omnem veterem et novam Scripturam ad verbum esset interpretatus, postea sicut etiam Eusebius Palaestinensis, a veritate exciderit“ [4]). Quem etiam male-carpit, quod existimavit, lignum in paradiso vetitum mulierem fuisse [5]), et quod animas nostras prius corporibus exstitisse fabulatus est [6]). Memorat Theodoretum Cyrensem dixisse ficum esse lignum fructus, quem comedisset Adam [7]). Praeterea laudat Ammonium probatissimum Ecclesiae Alexandrinae interpretem [8]), et Eustathium illum in theologia celeberrimum concinatorem et martyrem et summum Synodi Nicenae doctorem [9]), Olympiodorum denique inter philosophos et doctores magnum et Alexandrinae Ecclesiae diaconum [10]).

Sed haec de his in Hexaemeron libris duodecim dicta satis sint.

---

[1]) col. 968. [2]) ibid. D. [3]) ibid. B. [4]) col. 971 D.
[5]) col. 987 A. [6]) col. 1044 C. [7]) col. 971 D.
[8]) col. 856 A cf. Hod. c. 14. col. 244 seqq.
[9]) col. 944 B. Male exstat „Eustachium“ pro „Eustathium“. cf. col. 94 A, 106 C, 114 C.
[10]) col. 986 C et 987. vid. supra pag. 76 seq.

CAPUT VI.

CAETERA SCRIPTA, QUAE SUB NOMINE ANASTASII SIVE SINAITAE SIVE ANTIOCHENI EDITA EXSTANT, AD QUEMNAM AUCTOREM SPECTARE VIDEANTUR.

1. In *Oratione* quidem „*de sacra synaxi et de non judicando deque injuriarum oblivione*" (col. 826 seqq.) nihil inveni, neque quod Anastasium nostrum certe auctorem ostendat neque quod eum excludat. Communiter autem Anastasio nostro Sinaitae attribuitur. Haec oratio ex Combefisii ipsiusque Canisii [1]) judicio aeque ac sequentes in Psalmum sextum „tales omnino videri possunt, ut non in paucis ac raris satis ejus exemplaribus apud librorum curiosiores delitescere debeant, sed ab omnibus morum magistris, ac maxime verbi Dei praedicatoribus, diurna ac nocturna manu versari; sic bonis ac compunctioni congruis, fraternaeque dilectioni, quae est vinculum perfectionis, plenae sunt et refertae" [2]). Igitur quum hanc orationem totam hic apponere longum sit, saltem nonnulla ex ea referam. Atque non multo post orationis exordium hominum suorum mores et vitam graviter arguit his verbis [3]):

„Magna est caecitas nostra, ingens socordia. Non reperitur apud nos compunctio, non timor Dei, non morum emendatio, non poenitentia; sed tota mens nostra conversa est ad malitiam, ad voluptatem, ad ebrietatem. Et saepe

---

[1]) Canis. antiqu. lect. tom. III p. 60.

[2]) col. 826 in nota.

[3]) Lector semper in mente retineat velim, auctorem loqui ad homines Christianos saeculi septimi.

fit, ut integros dies in theatris, et turpiloquiis et reliquis diaboli operibus occupati non defatigemur, cibo, domo caeterisque rebus necessariis propter vana illa et ludicra contemptui et neglectui habitis. At in Ecclesia Dei ne unam quidem horam orationi et lectioni dare, Deoque astare volumus; sed ab Ecclesia quam primum, non secus ac ab ardente rogo, expediri contendimus, et si de divino Evangelio longior instituatur recitatio, indignabundi circumstamus. Et si sacerdos preces paulo diutius protrahat, tristitia afficimur, socordesque efficimur; et si is qui incruentum sacrificium offert, vel paululum cunctetur, fastidimus et oscitamus et tam paucis ab oratione quam a tribunali liberari studemus, utque ad vanas actiones voluptatesque nos recipiamus, a diabolo impellimur. Grandis est miseria nostra, charissimi. Etenim cum in omni oratione et obsecratione spiritu ardere, eximie autem tunc, cum immaculata mysteria peraguntur et immolantur, cum timore et tremore Domino assistere deberemus, in tali et tanta synaxi; neque hoc quod nostri officii ratio exigit, praestamus sinceris precibus in spiritu contrito et humiliato, sed res causasque nostras forenses multarumque et inanium rerum administrationes, cum ad sacram synaxin accedendum est, perficimus. Et multi quidem non laborant, qua puritate et poenitentia ad sacram mensam adeant, sed quibus vestimentis exornentur. Alii, qui veniunt, non dignantur usque ad finem adesse, sed per alios interrogant quidnam in synaxi agatur, et num tempus communionis adsit: et tunc praepropere, canum instar, insiliunt et pane mystico rapto, exeunt. Alii in templo Dei praesentes ne una quidem hora quiescunt, mutuis coloquiis institutis, confabulationibus magis quam precibus intenti. Alii relicta sacra liturgia carnis voluptatibus sese dedunt. Alii nihil curae et operae suae conscientiae impendunt, ut a peccatorum sordibus expurgetur per poenitentiam; sed plura peccatorum onera sibi reportant, dum pulchritudinem formasque mulierum con-

templantur, et ex Ecclesia Dei lupanar per effrenatas suas cupiditates efficiunt. Alii vero de negotiis aliis et possessionibus suis conferunt, et in forum atque emporium locum illum tremenda illa hora vertunt. Alii in synaxi aliis detrahunt et obloquuntur, etiam ipsis sacerdotibus qui sacrificium offerunt. Extra hunc censum collocandae non sunt mulieres nonnullae, quae non tantum vacant per orationem Ecclesiae Dei, quantum diabolo per hoc quod conspiciuntur multosque ex simplicioribus seducunt. Cum igitur nostra haec commonitio utrumque sexum, viros scilicet et mulieres comprehendat, ea queror et deploro, quae nobis qui Christiani videmur, propria desidia et contemptus peperit. Quid enim gravius more illo, quod, cum rapinis, improbitate, omnique scelerum genere oppleti simus, paucula aqua manus abluimus, sicque sacrum illum corpus divinumque sanguinem, pro salute mundi effusum, immundi et sordidati percipimus?

Nonne vides, quomodo Judas, indigne Christi corpore sumpto, statim damnatus est, plusque loci maligno suppeditavit. Dicitur enim: „Et accepta buccella, statim introivit in ipsum Satanas“ [1]; non quod diabolus panem illum despiceret, sed ut eum qui sumpserat redargueret; in judicium enim suum sumpserat. Qua enim conscientia, dic mihi, accedis ad haec mysteria, qui in pectore habes conscientiam tui accusatricem? Dic age, si coenum manibus gestares, auderesne regias vestes attingere? et quid dico? ne tuas quidem vestes tangeres inquinatis manibus, sed prius lotis tersisque manibus, tunc demum vestes tuas attingeres. Cur igitur eum, quem vilibus vestimentis habes honorem, non itidem impertis Deo? Et quam veniam, oro, consequeris? Neque enim ingredi in Ecclesiam divinasque sacrarum imaginum figuras venerandasque cruces honorare

---

[1]) Joh. 13, 27.

et salutare per se Deo placitum est; neque etiam manuum ablutio purgatio censeri debet. Sed istud Deo gratum acceptumque est, ut quis fugiat et emaculet peccati inquinamenta, et confessione, et lacrymis, animoque humiliato et demisso delictorum catenas solvat, sicque ad immaculata mysteria accedat.

At forte dixerit quis: Meipsum deflere et lamentari non est mihi jucundum. Qua de causa vero? Quia non laboras, quia non sentis, quia non perpendis horribilem diem judicii. Nihilominus si flere non potes, saltem ingemisce et molestia afficere: risum comprime, elationem abjice. Et cum timore Domino assiste, oculis humi defixis, spirituque depresso et prostrato ipsi confitens. Nonne vides illos, qui terreno regi astant, et saepius quidem impio, quomodo ei assistant cum omni reverentia, cum tremore in ipsum respicientes, absque ulla voce, motione aut circumagitatione, quieti prorsus pavorisque pleni? At nos in Ecclesia non aliter agimus quam in theatro aut balneo, ridendo, nugando, garriendo. Qua ratione ipsi nos fallimus, non reputantes nos in ecclesia esse. An ignoras Ecclesiam Dei officinam medicam esse et portum? Si igitur in domo medici a morbo tuo non libereris, ubi de caetero curaberis? Et si in portu fluctibus agiteris, ubi postea quiesces? State, obsecro, cum reverentia. Quo enim affectu et quo animo quisque illo tempore assistit, sic et ad Dominum sursum fertur. *Ἀναφορά* enim, sive elevatio dicitur, quia sursum ad Deum fertur. Assiste igitur Deo quiete et compuncto corde. Confitere Deo *per sacerdotes* peccata tua [1]). Condemna actiones tuas, ne erubescas. Est enim „pudor qui adduxit peccatum, et est pudor qui gloriam et gratiam parit“ [2]). Condemna te in conspectu hominum, ut coram

---

[1]) „Ἐξομολόγησαι τῷ Θεῷ διὰ τῶν ἱερέων τὰς ἁμαρτίας σου“ col. 833 C.
[2]) Eccl. 4, 25.

angelis totoque mundo Judex te justificet. Pete misericordiam, pete veniam, pete remissionem praeteritorum et liberationem a futuris, ut digne ad tanta mysteria accedas, ut pura conscientia corpus et sanguinem participes, ut tibi cedat ad emundationem et expiationem, non ad judicium" [1]).

Tum explicatis illis Liturgiae verbis: „Stemus decenter, stemus cum timore" [2]), „Sursum corda" [3]), „Habemus ad Dominum" [4]), sermonem facit de illo Dominico: „Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris" [5]), atque inter alia haec ait:

„O homo, inquit, quid agis? dum angeli sanctae Missae officio ministrant, sex alis volantes sacrum et mysticam mensam obvelant, dum Cherubim circumstant et Trisagii hymnum clara voce concinunt, Seraphim cum reverentia se inclinant, dum pontifex misericordiam Dei tibi deprecatione conciliat, omnibus interea timore atque tremore defixis, dum Agnus Dei sacrificatur, Spiritu sancto desuper superveniente; dum angeli invisibiliter omnem populum circumeunt, fideliumque animos signant et describunt: non perhorrescis animo, quod despicis et Judae osculum fratri offers, diurturnamque et tenacem injuriarum memoriam atque perniciosum serpentis venenum erga fratrem tuum in corde tuo intime abscondis? Et tu abscondita cordis cognoscenti dicis: „Dimitte mihi sicut et ego dimitto fratri meo?" Numquid talis tua oratio quidquam differt a mala imprecatione? Ecce quod dicis, contra te ipsum dicis: Si dimitto, dimitte; si ignosco, ignosce; si compatior, compatere; si retineo tenaciter injuriarum memoriam adversus conservum meum, et tu retine; si irascor, irascere: in qua mensura metior, in

---

[1]) col. 830—834.

[2]) „Στῶμεν καλῶς, στῶμεν μετὰ φόβου" col. 836 D.

[3]) col. 837 A: „Ἄνω σχῶμεν τὰς καρδίας".

[4]) ibid.: „Ἔχομεν πρὸς τὸν Κύριον."

[5]) Matth. 6, 12.

eo remetiaris mihi: si per simulationem fingo me veniam dare, etiam per simulationem misericordiam fictam consequar. Ego contra memetipsum, o Domine, sententiam fero. Audivi enim tremendum verbum tuum: „In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis“ [1]. Et: „Si non dimiseritis hominibus peccata eorum, neque Pater vester coelestis dimittet vobis“ [2]. Huic verborum tuorum, quae falsa esse non possunt, testificationi fidem habui, et dimisi, ignovique illis, qui me offenderunt: dimitte igitur, o Domine, sicut et ego conservis dimisi. Haec dicamus, haec quotidie precemur, dum tempore tremendae atque sacrosanctae synaxeos circumstamus, quod cognoscens sacerdos post consecrationem sacrificii illius incruenti panem vitae in altum elevat, et omnibus ipsum ostendit [3]. Deinde exclamat diaconus et dicit: „Attendamus“ [4], hoc est: attendite vobis, fratres. Ecce paulo ante consensistis, dicentes: „Habemus corda ad Dominum“. Et mox puro corde et quod omnem injuriarum memoriam deposuit, confitentes Deo dixistis: „Dimitte nobis sicut et nos dimittimus debitoribus nostris“. Propterea et vos invicem amplexi estis in osculo pacis. Sed cum ego sim homo, ignorans vestras cogitationes, illorum abjicio a me judicium: non enim novi quis dignus an indignus sit horum mysteriorum perceptione. Et ob hoc ipsum inclamo, ut vobis attendatis, et cui assistatis, consideretis. Adjungit deinde sacerdos: „Sancta Sanctis“ [5]. Quid vero dicit? Videte charissimi, quomodo ad communionem divinorum mysteriorum accedatis, ne quis vestrum communicare tentans, audiat: Ne me tangas, abscede a me, qui injuriae retinens es, et iniquitatem operaris. Procul abesto, qui

---

1) Matth. 7, 2. 2) Matth. 6, 15.

3) „Ὁ ἱερεὺς μετὰ τὸ ἁγιασθῆναι τὴν θυσίαν ἐκείνην τὴν ἀναίμακτον ἀνυψοῖ τὸν ἄρτον τῆς ζωῆς, καὶ πᾶσιν αὐτὸν ὑποδεικνύει“ (col. 841 A).

4) „Προσχῶμεν“ (ibid.).

5) „Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις“ (col. 841 B).

fratrem tuum non dignaris venia. Et tunc veniens offer munus tuum, dignusque efficieris communione. Abjice abs et omnes malitiae sordes, et tunc accedito, emundantemque carbonem illum suscipito" [1]).

Deinde memoriam injuriarum tenacem majus esse omnibus peccatis ostendens haec disserit:

„Omne enim, inquit, peccatum exiguo tempore perficitur, et absque mora perpetratur; exempli causa, fornicatur quis: et post flagitium, peccati magnitudine in animum revocata, culpam agnoscit. At irrogati mali memoria indesinenter sub pectore fervet et gliscit. Etenim qui hoc affectu distinetur, is irrequietum et perpetuum suo in corde venenum circumfert, sive ex lecto exurgat, sive cubitum eat, sive oret, sive iter faciat: ut proinde hac peste infectus, nec gratia divina potiatur, nec delictorum remissionem consequatur. Nam ubi injuriarum recordatio radices egit, illic nihil prodest, non jejunium, non lacymae, non confessio, non precatio, non virginitas, non eleemosyna, non aliud quidpiam; omnia enim dissipat et dissolvit injuriarum recordatio erga fratrem" [2]).

Tum auditores monet, ne quemquam judicent, maxime vero, ne sacerdotem [3]). Denique in fine refert hanc narratiunculam [4]):

„Monachus quidam, ait, cum vitam summa negligentia et desidia exegisset, in lethalem morbum incidit; cumque ad extremum usque spiritum processisset, mortem nequaquam exhorruit; sed summa cum gratiarum actione et alacritate ex corpore excedebat. Quidam igitur ex assistentium Deo carissimorum patrum numero interrogavit illum: Frater, ajebat, crede nos, prout videbamus, existimasse te vitam tuam in negligentia et socordia traduxisse; unde ergo tibi tantum securitatis hac hora accesserit ignoramus. Ad quae

---

[1]) col. 840 et 841. [2]) col. 844. [3]) col. 848. [4]) col. 850.

frater ille: Vere, reverendi patres, vere negligentissime vitam meam traduxi, et nunc hac ipsa hora attulerunt ad me angeli Dei chirographum peccatorum meorum, cumque legissent peccata ab eo tempore quo mundo valedixi, dixerunt ad me: Agnoscis haec? Respondi: Utique agnosco. Attamen ex quo rebus mortalibus nuntium remisi, monachusque factus sum, neque quemquam hominum judicavi, neque injurias alta mente reposui, cupioque ut et in me servetur praeceptum Christi, qui dixit: „Nolite judicare et non judicabimini.“ Et: „Dimittite et dimittetur vobis“ [1]). Et ut haec ad angelos dixi, e vestigio discerptum est peccatorum meorum chirographum. Et ecce omni cura solutus, quin et plenus gaudiis, abscedo ad Christum. Et ut haec frater ille patribus exposuit, spiritum Domino in pace tradidit, praesentibus exemplo ad omnem utilitatem et aedificationem relicto.“ Etiam autem vivere testatur, qui hoc suis oculis aspexerint [2]).

2. „*Orationes duae in Psalmum sextum*“ (col. 1078 seqq.) auctorem saeculo septimo priorem certe non admittunt, cum quaedam sub Mauricio Imperatore gesta referant. Ut enim auctor ostendat, poenitentia Deum quam maxime placari, in medium affert complura exempla, et primum quidem ex Clemente Alexandrino sumptum, ut ipse auctor dicit [3]), de juvene illo, quem Joannes Apostolus episcopo Ephesino custodiendum tradidit, sed ab hoc male custoditum et latronem factum postea ipse requisivit [4]); secundum de latrone illo in cruce fideli [5]); tertium denique et quod sit recentius, de latrone quodam sub Mauricio Imperatore Thraciae fines devastante, qui deinde solo Imperatoris jussu permotus, objectis latronis moribus, in modum ovis mansuetae,

---

[1]) Luc. 6, 37. [2]) c. 250 A.

[3]) col. 1106. Exstat narratio in Clem. Alex. libro „quis dives salvetur“ n. 42.

[4]) col. 1106—1110. [5]) col. 1112.

ad Imperatoris pedes poenitentia ductus accidisset, et post paucos dies letifero morbo correptus, et uberrimis lacrymis ob poenitentiam fusis, ad coelum reconciliatus migrasset [1]). Haec omnia exempla duae pariter orationes referunt. Sed oratio prior, hunc latronem postremum allegans, dicit: „ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γενεᾶς ἐπὶ Μαυρικίου τοῦ τῶν Χριστιανῶν βασιλέων γεγονότος ἐγένετό τις ἀρχιληστὴς κ. τ. λ." [2]), posterior vero solum: „κατὰ τοὺς χρόνους Μαυρικίου τοῦ εὐσεβοῦς βασιλέως γεγονὼς ἕτερος ληστὴς κ. τ. λ." [3]), omissis illis verbis: „ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γενεᾶς". Ex quo forsitan conjici potest, hanc posteriorem orationem nonnihil post priorem habitam. Quod enim Oudinus blaterat, verba: „ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γενεᾶς" in oratione priore a quodam gratis adjecta esse [4]), nimirum ut etiam hanc orationem Anastasio suo quarto circa initium saeculi undecimi attribuere possit, ne mentione quidem dignum videtur. Quanam enim ratione posteriorum aliquis moveri potuit, ut rem ante integra saecula gestam scribens, „ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γενεᾶς" adderet? Multo rectius cum Combefisio dicendum esse puto, „nihil vetare, suis usum Anastasium semel et iterum hunc psalmum enarrasse, proque auditorum ratione, vel ut suggerebat memoria, verba plurima, ipsaque tota commata qua mutasse, qua omisisse" [5]). Itaque hae orationes per se ad Anastasii nostri tempora clamant. Quod autem Ceillierius clarissimus ex iis verbis: „ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γενεᾶς" conjicit [6]), Anastasium jam sub Mauricio Imperatore in vivis fuisse, mihi quidem non ita sequitur. Etenim his verbis: „ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γενεᾶς" etiam uti potuit, si non ipse quidem, sed parentes ejus vel auditores aliqui Mauricii tempora sciebant. Quod si re vera Anastasius jam sub Mauricio [7]) lucem vidisset, annum fere

---

[1]) col. 1112 seq. [2]) col. 112 A. [3]) col. 1140 A.
[4]) Oudin. tom. II. col. 573. [5]) col. 1078 not. 2.
[6]) Ceillier tom. 17 pag. 431. [7]) Regnavit ab a. 582—602.

plusquam centesimum eum attigisse sequeretur, quum eum etiamtum post annum 700. vixisse ex sermone tertio quem dixi constet [1]). Sed nihil inde certi statui posse arbitror.

Porro doctissimus vir Michael Lequienus in sua admonitione in epistolam de Confessione, quae exstat inter opera S. Joannis Damasceni, loquitur etiam de oratione priore in Psalmum sextum atque existimat, „auctorem ipsum illo loco, ubi de Mauricio Imperatore loquitur, significare, se in ea regione morari, quae jam non Christianis principibus, sed Mohammedanis potius pareret, dum his verbis utatur: „*ἐν οἷς καὶ ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γενεᾶς ἐπὶ Μαυρικίου τοῦ τῶν Χριστιανῶν βασιλέως.*“ Frustra enim, inquit, vocem Christianorum interjecisset, nisi infideles adeoque Saraceni Palaestina, in qua orationes habebat, tunc potiti essent“ [2]). Quod etiamsi forte non ita stricte concludi possit, tamen optime in Anastasium nostrum quadrat. Quod autem idem sit auctor et „homiliae hujus prioris in Psalmum sextum“ et „orationis de sacra synaxi“, non ex sola nominis conformitate, sed et ex stylo dictionisve consonantia discit agnosci [3]). Jure itaque etiam has duas in Psalmum sextum homilias ad Anastasium nostrum auctorem spectare concludendum est.

---

1) vid. supra pag. 69.

2) Patrol. Gr. ed. Mign. tom. 95 col. 281 et 282.

3) ibid. Notandum est, quod Lequienus ibidem facit „Eutychium Alexandrinum iu Annalibus narrantem, Anastasium, qui homiliam istam pronuntiavit in Ps. VI., „esse Baanem illum; qui cum ab Heraclio defecisset, quo tempore Saraceni Syriam invadebant, perduellionis suae poenam veritus, monachum in monte Sinai assumpto Anastasii nomine professus est“. Sed certe Anastasius noster non potest esse Baanes ille quem vult Eutychius; neque enim si perduellionis suae poenam veritus monachum in monte Sinai professus esset, mox eodem Heraclio regnante (obiit demum a. 641) Alexandriam disputandi causa venisset eo ipso tempore, quo haec urbs etiamtum Heraclii ditionis erat. (cf. supra pag. 18.) Itaque Eutychium etiam hic errore deceptum esse putem. (cf. supra pag. 7 not. 6.)

3. „*Disputationes tres adversus Judaeos*" (col. 1203 seqq.) aperte ad auctorem Anastasio nostro recentiorem spectant. Dicitur enim in fine primae disputationis (col. 1225 D.) Christum „pro amplius octingentis annis", quae ventura essent, praedixisse. Et in secunda disputatione (col. 1237 Bl.) auctor Judaeos his interrogat: „Quale peccatum, inquit, coram Deo egistis? Ecce enim amplius octingentis annis in omnem terram dispersit vos Deus, et duxit Titum et Vespasianum Roma, et trucidaverunt ex vobis decies centena millia Hierosolymis, ut dicit Josephus vestrae gentis scriptor . . . Et ecce octingentis et amplius annis neque altare, neque arcam, neque locum Paschae conservatis." In eadem disputatione (col. 1234 et 1235) defendit et exponit verum et legitimum imaginum et picturarum cultum. Ex quibus conjici licet, auctorem circa a. 900 p. Chr. vixisse. Dicit „Romanorum sive Christianorum imperium" usque ad finem mundi transiturum non esse, quippe quod simul a Domino Jesu Christo administretur [1]). Quapropter licet omnes gentes Christianorum regnum impugnaverint et etiam victoriam reportaverint, tamen illud everti nequivisse neque unquam eversum iri [2]). Memorat barbaros Turcas his verbis: „Οὐχὶ τῶν Περσῶν βασιλεία κατεπόθη ὑπὸ τῶν Βαρβάρων τούτων τῶν Τουρκῶν;" [3]) Inter alias sectas in disputatione II. etiam has duas refert: „Σεβήνυτον, τὴν τὸν Σίμωνα σεβομένην, et Νοῦφιν, τὴν τὸν οἶνον προσκυνοῦσαν" [4]). Testatur Christum coli in Sina, in Jordane, in urbe Jerusalem et Sion et monte Oliveti et Bethleem aliisque locis. Notandum autem, quod de Jordane loquens addit: „παρ' ἡμῶν" [5]). Refert suo tempore Christianos, in quibus se ipsum numerat, affligi captivosque teneri in medio gentium, quae sibi do-

---

[1]) col. 1012 C. [2]) col. 1209 B. [3]) col. 1212 C.
[4]) col. 1233 A. [5]) col. 1221 BC.

minentur seque persequantur[1]), et id quidem jam multis annis, sed nihilominus se Deum non negare, ut Judaei quondam fecerint[2]). Ex quibus conjici licet, auctorem in Mohammedanorum finibus degisse. Quisnam vero auctor sit, mihi incertum relinquitur. Titulus quidem harum disputationum habet „Anastasium Abbatem." At hunc non esse Anastasium illum abbatem monasterii sancti Euthymii in Palaestina, quem pag. 3. allegavi, ex iis, quae modo dixi, apparet. Denique ejusdem auctoris cum his tribus disputationibus esse videntur opuscula duo quae subsequuntur, nempe „Dialogus parvus ad Judaeos" et „Interrogatio alia" (col. 1271 seq.), quae magnam partem ex disputationibus excerpta est. Narrat autem auctor in disputationibus, Nicodemum et Nathanaelem et Josephum ab Arimathaea et Bizen et Alexandrum cum Christo fuisse in nuptiis Simonis Galilaei, ubi Christus aquam in vinum convertisset[3]). Refert etiam, a Josepho scriptore Judaeo Christum dici „virum justum et bonum ex divina gratia declaratum, signis et miraculis in multos benefacientem" [4]).

4. In „*Orationibus quinque de rectis nostris dogmatibus veritatis*" (col. 1309 seqq.) nihil inveni, ex quo Anastasium nostrum, Hodegi auctorem, conjicerem. Verum omnia quam optime quadrare mihi videntur in Anastasium illum seniorem

---

[1]) Dicit enim „Καὶ μὴ εἴπῃς, ὅτι σήμερον καταπονούμεθα οἱ Χριστιανοὶ καὶ αἰχμαλωτιζόμεθα· τοῦτο γάρ ἐστι τὸ μέγα, ὅτι καὶ ὑπὸ τοσούτων διωκομένη καὶ πολεμουμένη ἡ πίστις ἡμῶν ἵσταται καὶ οὐ παύεται, οὐδὲ τὸ βασίλειον ἡμῶν καταργεῖται, οὐδὲ αἱ ἐκκλησίαι ἡμῶν κλείονται· ἀλλὰ ἀναμέσον τῶν ἐθνῶν τῶν κρατούντων καὶ διωκόντων ἡμᾶς, ἐκκλησίας ἔχομεν καὶ σταυροὺς πήσσομεν καὶ ἐκκλησίας οἰκοδομοῦμεν, θυσίας ἐπιτελοῦμεν". (col. 1221 D.)

[2]) „Ἡμεῖς δὲ οἱ Χριστιανοὶ αἰχμαλωτιζόμενοι πολλὰ ἔτη καὶ καταπονούμενοι, τὸν Θεὸν οὐκ ἀρνούμεθα" col. 1236 A.

[3]) col. 1248 B.

[4]) ibid. C: „Ἰώσηπος ὁ συγγραφεὺς ὑμῶν ὃς εἴρηκε περὶ Χριστοῦ λέγων, ἀνδρὸς δικαίου καὶ ἀγαθοῦ ἐκ θείας χάριτος ἀναδειχθέντος, σημείοις καὶ τέρασιν εὐεργετοῦντος πολλούς". Cf. Flav. Jos. antiqq. XVIII. 3.

patriarcham Antiochenum. Atque in ipso primae orationis exordio testatur, „se jam pridem de fide sana et de veris Ecclesiae dogmatibus incorrupte et probate tractavisse variis orationibus in Ecclesia habitis et recitatis tunc cum scribere et fidentur loqui liceret, cum nemo impudenter auderet dicere: „Tace et ne loquaris“ [1]). Tum dicit, „se jam inopia librorum laborare (col. 1311 D), utpote in exilio constitutum (or. III. col. 1348). Indubie autem ipsum auctorem esse conjicio ex eo, quod Tritheitarum „haeresim recentem“ vocat, dum dicit, „divinam naturam non esse partitam in se, secundum *haeresim recentem*, in partes quas vocent substantias speciales sive particulares“ (col. 1324 C), et: „Contra eos, qui tres substantias dicunt, proprio loco scripsimus, cum *nuper* de hac quaestione posita disceptaretur; et fortasse qui illa quaeret reperiet; et cum repererit, certius cognoscet, quomodo in illis contra illam *tunc haeresim ortam* disputavimus“ (col. 1322 D). Tritheitas autem Philopono duce circa a. 560. prodiisse notum est. Eos ipsos etiam harum orationum prima aggreditur. Praeterea in oratione III. „de incarnatione“ duas Christi naturas, divinam et humanam in una Verbi persona conjunctas defendit, sed nullius de duabus in Christo voluntatibus atque operationibus ortae controversiae mentionem facit. Porro integram orationem IV. de passione et impassabilitate Christi instituit [2]). Testatur se a prima pueritia patrum doctrinas secutum esse, neque unquam vel ad dextram vel ad sinistram deflexisse [3]).

Caeterum hae orationes Anastasio patriarchae Antiocheno seniori quam maxime dignae videntur et maxima utilitate et studio leguntur, verbis quidem breves, locupletes sententiis. Has fortasse intelligas „Scholasticorum ratiocinia“,

---

[1]) Amos 6, 11, col. 1309 B. [2]) cf. supra pag. 4 et 5.
[3]) col. 1309 C et 1311 B.

ex quibus, utpote saeculo XI. convenientibus, Oudinus vir bonus concludit, orationes has spectare ad Anastasium suum quartum [1]). Ejusdem autem auctoris esse has quinque orationes atque Hodegum, ex eo male conjicit, quod auctor Hodegi sub finem Prologi [2]) memorat „dogmaticum suum Tomum" et cap. 8. „Tomum apologeticum ad populum" [3]), in quo dicit se tractasse: non idem esse naturam atque personam. Scilicet hi tomi ex Oudino alii esse nequeunt atque hae orationes quinque de rectis veritatis dogmatibus. A quo autem Oudinus id didicit? Miror deinde, Oudinum eos locos, in quibus de Tritheitarum haeresi agitur, quosque supra allegavi, prorsus silentio praeterire. Caeterum in hoc sibi constat, quod fidem non meretur.

5. „*Sermo in Transfigurationem D. N. J. Chr.*" (col. 1361), item „*Sermones duo in Annuntiationem SS. Dei Genitricis Mariae*" (col. 1375 et 1385), „*Sermo in Defunctos*" (col. 1191), *fragmenta* denique singula (col. 1281 seqq.) ad quemnam auctorem spectent, ex iis ipsis decernere non potui. Tertium tamen fragmentum Anastasio meo Sinaitae attribuerim. Exstat in Scriptt. vett. nov. coll. ed. Mai VII. p. 192 sub hoc titulo: „*Ἀναστασίου πρεσβυτέρου περὶ τοῦ κατ' εἰκόνα καὶ καθ' ὁμοίωσιν ὑπὸ Θεοῦ κατασκευῆς λόγος τρίτος* [4]). Ejus priora verba spectant ad ea, quae traduntur in libris in Hexaem., caetera autem ad ea, quae dicuntur in expos. fidei. Hod. c. I. col. 42 seq. Fragmenta autem I., II., IV. Anastasio Antiocheno atribuuntur et allegantur in opere quodam dogmatico, quod eruditi Anastasio nostro Sinaitae ascribunt [5]).

„*Fragmentum autem illud e Sermone: secundum imaginem*" (col. 1143), ad verbum consonat partim cum *opusculo*: „*περὶ τοῦ τί ἐστι τὸ κατ' εἰκόνα Θεοῦ καὶ καθ' ὁμοιω-*

---

[1]) Oudin. tom. II. col. 569 et 570. [2]) col. 36 B; supra pag. 46.
[3]) col. 124 C. [4]) cf. supra pag. 64, not. 1. [5]) cf. infra pag. 156.

σιν“, quod exstat in Patrol. Gr. Ed. Mign. tom. 44. col. 1328 seqq. cum operibus S. Gregorii Nysseni [1]), partim cum Sermone tertio quem dixi [2]), ita ut ex utroque quasi excerptum videatur. Illud autem opusculum, quod modo allegavi, quaedam continet [3]), quae fere ad verbum consonant cum Hodego c. 22. col. 288 B.; sive ambo ad eundem auctorem spectant [4]) sive quaestiones illae Hodegi loc. cit. ιβ' et ιγ' ex Gregorio aliove auctore ab Anastasio nostro excerptae sunt. Addo in illo opusculo illud „secundum imaginem“ nondum explicari de duabus in Christo voluntatibus atque operationibus, sicut explicatur in Anastasii Sermone tertio et fragmento praecedenti.

Sententiae collectae ex Ario ejusque asseclis atque ex Patribus eos confundentibus (col. 1179) ab Anastasio nostro alienae non videntur. Citatur in iis etiam Olympiodori, magni philosophi et Alexandriae diaconi, oratio secunda contra Severum (col. 1189).

Idem dicendum puto de „*Compendiaria fidei orthodoxae explicatione*“ (col. 1400) [5]), in qua jam de Monotheletis disseritur et de duabus in Christo voluntatibus atque operationibus, qua de causa etiam Oudinus eam attribuit [6]) Anastasio cuidam circa a. 685 existenti, sed quem vult patriarcham

---

[1]) cf. tom. cit. col. 1330 B — 1332 D et 1333 B — 1336 A.

[2]) cf. 1160 C — 1164 B.

[3]) col. 1339 D et 1331 A.

[4]) Anastasio quidem hoc opusculum in antiquo quodam codice Bandinio teste ascribitur (Mign. Patr. gr. t. 89 col. 1151). Auctorem vero Nysseno juniorem vix quidquam suadere, etiam Fabricius (Mign. t. cit. col. 23) et Bandinius (l. c.) consentiunt. Sermonem autem quem volunt secundum εἰς τὸ κατ' εἰκόνα“, a Taurino ad calcem Philocaliae Origenis Par. 1618. 4. editum, invisendi mihi copia non fuit.

[5]) Exstat etiam in Scriptt. vett. nov. coll. ed. Mai. VIII. part. II. p. 135—137. Majus autem eam S. Cyrillo vindicat tom. 10. in indice pag. 382.

[6]) Oudin. tom. I. col. 163 seq.

simul Antiochenum tertium hujus nominis, et monachum Sinaitam, de quo supra dixi [1]).

6. Restat denique „*Tractatus de tribus Quadragesimis*" [2]) (col. 1389) cum hoc titulo: „Anastasii patriarchae Theopoleos magnae Antiochiae de sanctis tribus Quadragesimis, unde eas observare accepimus, quodque qui eas transgrediuntur, legem violent". Hujus igitur tractatus auctorem Anastasio nostro longe recentiorem esse, jam supra [3]) notavi. Dicit enim, quadragesimam Nativitatis Christi observatam esse a Sanctis Patribus et septem oecumenicis conciliis [4]). Septimum autem fuit Nicaenum alterum, a. 787 habitum. Miror autem, quod Oudinus ex hoc ipso tractatu probare sustinet [5]), vixisse circa a. 1010 vel 1020. Anastasium quendam, quem dicit hujus nominis quartum, patriarcham simul Antiochenum et monachum Sinaitam, cui omnia pene scripta, quae sub nomine Anastasii sive Sinaitae sive Antiocheni episcopi exstant, velint nolint, attribuit. Ac gratis quidem supponit, titulum hujus tractatus esse genuinum, tanquam si fieri non potuerit, ut aliquis alienum hunc titulum praeponeret, quo is fetus pluris haberetur, ut omittam, neque doctissimum Lequienum in Oriente suo Christiano talem Anastasium quendam eo tempore patriarcham Antiochenum referre. Itaque omnino incertus mihi videtur hujus tractatus de tribus quadragesimis auctor.

Sed demus Oudino suum Antiochenum quartum, nos redeamus ad nostrum.

---

[1]) pag. 61 et 62.

[2]) sc. quadragesima magna et quadragesimis Nativitatis Christi et Dormitionis Deiparae.

[3]) pag. 81.

[4]) col. 1397 A.

[5]) Oudin. tom. II. col. 547 seqq.

CAPUT VII.

DE ANASTASIO SINAITA, QUAE PASSIM INVENTA SUNT, COLLIGUNTUR.

Multa quidem, benevole lector, jam in praeviis passim allegavi, ex quibus Anastasius noster qualis fuerit, quando vixerit, qualemque se gesserit, ipse conjicere posses. Quae nunc breviter colligam paucaque adjiciam.

Fuit igitur Anastasius noster, Hodegi auctor, presbyter [1]) et monachus [2]) sancti montis Sinai, ideoque vere Sinaita dicitur. Viguit autem certe jam ante a. 640, veritatem catholicam jam tunc contra haereticos Monophysitas strenue apteque defendens, et etiam claruit post a. 700 [3]). Longissimam ergo vitam duxisse colligitur. Quando autem primum lucem aspexerit, quandoque rursus e vivis decesserit, adhuc in supenso relinquitur [4]).

Caeterum a teneris unguiculis in discendis definitionibus ex Patrum traditione sese exercebat, iisque maxime post Deum adversarios a se fugatos esse testatur [5]). Complura deinde itinera fecit in Syria et Aegypto aliisque locis, veritatem catholicam ubique defendens et haereticorum jacula rejiciens [6]). Ac praesertim Alexandriae cum haereticis congrediebatur, ut patet ex quattuor disputationibus, quas capite decimo Hodegi refert, et quarum tertiam supra dedi [7]). In vico quodam, nomine Carsata, ad quartum a Damasco

---

1) vid. supra pag. 27. 2) pag. 17. 3) pag. 18 et 69; cf. p. 88, 89; 115 seqq.
4) Cf. tamen supra pag. 12 not. 4.
5) supra p. 41. 6) pag. 29; cf. etiam supra p. 82. not. 1.
7) p. 16 seqq.

milliarium sito, se ipsum vidisse testatur, apud S. Joannem Damascenum citatus [1]), imaginem illam S. Theodori, quae a Saracenis perfossa sanguinem fudisset, cujus signa etiam exstantia se suis oculis aspexisse asserit. Cum Judaeis quoque frequentes controversias habebat, in quibus illam cum Judaeo quodam, nomine Acolutho, Antinopoli habitam refert, qui Mosis prodigia miraculis Christi opposuit [2]), et alteram cum Judaeo quodam anonymo de verbis illis: „Faciamus hominem“ (Gen. 1, 26) [3]). Eo autem quo Hodegum scribebat tempore in eremo constitutus erat, neque librorum Patrum copiam habebat. Hoc discimus ex scholio quodam, cap. X. adjecto his verbis [4]): „Quia haereticorum natio ad reprehensionem proclivis est, scire oportet, nos, cum in eremo versaremur neque SS. Patrum libri in promptu essent, sententias istas (Patrum) ex memoria citasse ac

---

[1]) or. III. de imaginibus (Patr. Gr. Ed. Mign. tom. 94. p. 1393.), ubi sic refert: „Ad quartum ab urbe Damasco milliarium situm esse vicum quendam, nomine Carsatam, ubi esse Ecclesiam S. Theodori; quam Saracenos ingressos, ibi habitasse. Quadam igitur die, cum complures consedissent, unum ex iis sagitta in imaginem S. Theodori missa perfossisse humerum ejus dexterum, et illico ex eo sanguinem desuper fluxisse. Quamquam autem omnes hoc miraculum vidissent, et sagittam in humero imaginis defixam et sanguinem ex eo fusum, nullum tamen ex iis perterritum vel ad poenitentiam conversum esse neque etiam Ecclesiam deseruisse; sed Deo vindicante intra paucos dies ex viginti quatuor stirpibus, quae habitassent in Ecclesia, ad unum omnes morte correptos esse, quum nemo interea illius loci alius homo moreretur. Hanc autem imaginem S. Theodori etiam exstare cum vulnere et sanguinis fusi signis, atque se ipsum illam suis oculis vidisse“.

[2]) Hod. c. 14. col. 250 C. [3]) supra p. 121 seq.

[4]) col. 159 C. Dici nequit, hanc vocem: ἐγράψαμεν indicare tempus, quo ad primam disputationem Alexandriae habitam, quam eo loco refert, sententias Patrum descripsit. Nam eo tempore expresse dicit libros se collegisse atque inde SS. Patrum testimonia excerpisse (col. 150 D.). Ergo τὸ ἐγράψαμεν referendum est ad tempus, quo auctor Hodegum conscripsit.

scripsisse: rogamusque et obsecramus eos, quibus libri SS. Patrum sinceri et incorrupti suppetunt, ut emendent si quid praedictis testimoniis appositum deprehenderint. Neque enim sponte nostra aliquid aut adjecimus aut detraximus. Testis Dominus.“ Ex quibus quantopere versatus sit in SS. Patribus colligi licet, quippe qui eorum sententias quam plurimas e memoria citaret. Haec sunt, sane perpauca, at certa tamen, quae de Anastasio meo sive ex ejus ipsius scriptis sive aliunde colligere potui.

Scripsit autem praeter ea, quae supra tractavi, etiam alia, ut equidem opinor, quam plurima, in quibus ipse memorat in Hodego „Tomum dogmaticum“ [1]), forsitan eundem, quem dicit tanquam ex persona Flaviani episcopi CP. a se editum [2]), deinde „Tomum apologeticum ad populum“ [3]), et „Syntagma adversus Nestorium fusius“ [4]); in „sermone autem tertio in illud: secundum imaginem“, meminit „duos alios sermones praevios in illud idem verbum“ [5]), deinde in quaestione 95. opus quoddam proprium, quo ostenderet „Deum non esse qui faciat hunc hominem bonum, illum malum“ [6]); denique in libris XII in Hexaemeron refert libros a se elaboratos esse „de eo, cur Deus eodem die et homines et animalia creasset“ [7]), deinde alios duos libros de „constructione hominis“ [8]), „librum quendam secundum adversus Judaeos“ [9]), librum „de mystica contemplatione salutarium Christi Dei nostri passionum in Evangelio“ [10]), denique „Encomia Aegypti“ [11]).

Insuper notandum, quod Caveus [12]) Anastasio illi circa a. 685. ex ipso existenti [13]), quem equidem eundem putaverim cum hoc meo Anastasio, attribuit „narrationem

---

[1]) col. 36. [2]) col. 180 seqq. [3]) c. 124 C. [4]) col. 97 C.
[5]) c. 1151. cf. lib. X in Hex. c. 1009 B.
[6]) col. 734. [7]) c. 930 C. [8]) c. 931 B. [9]) c. 933 B.
[10]) c. 944 A. [11]) c. 679 D. [12]) Cave p. 392.
[13]) cf. supra pag. 61, 62; 151, 152.

compendiariam de haeresibus ab initio religionis Christianae deque conciliis adversus eas celebratis", quam ad concilium oecumenicum sextum CP. a. 680 et sequenti sub Imperatore Constantino Pogonato habitum perducit, desinitque sub imperio Justiniani Rhinotmeti.

Denique referendum est opus quoddam dogmaticum, quod inscribitur: *Λόγοι τῶν ἁγίων πατέρων ἤγουν ἐκλογὴ χρήσεων, δι' ὧν τὴν ὅλην τῆς ἀποστολικῆς ἐκκλησίας δόξαν σαφῶς διδασκόμεθα, τό τε τῆς θεολογίας φημὶ κήρυγμα, καὶ τῆς θείας οἰκονομίας τὸν λόγον, καὶ τῶν ἄλλων ὀρθῶν τῆς ἐκκλησίας δογμάτων τὴν ἀκρίβειαν.*" Hoc opus Anastasio presbytero attribuunt Sirmondus, Labbaeus [1]), Harduinus [2]), Muratorius [3]), ipse denique Angelus Majus [4]), qui idem opus et edidit [5]). Opus autem quale sit, ipse titulus indicat. Nam paene nihil continet nisi testimonia Patrum collecta. Sane nil vetat, quominus Anastasio nostro id ascribamus. Immo cap. VI: „*περὶ προσωπικῆς ἑνώσεως ἤγουν σχέσεως*" simillimum sonat Hodegi cap. 11. Articulus, qui inscribitur: „*Ἀπολογία πρὸς τοὺς συκοφαντοῦντας τὴν ἁγίαν σύνοδον*" (Scriptt. vett. nov. coll. VII. pag. 35) repetitur p. 46. Item scholion, quod incipit: *Τούτων τοίνυν οὕτως ἐχόντων*" cum sequentibus usque ad illa verba: „*ὅτι καὶ ἀσπάζονται*" (pag. 37—39.) perspicacius iterum exstat pag. 47—49. Anastasium Antiochenum quater citari reperi (capp. 13. 20. 21. 29.). Attamen de Anastasio nostro Sinaita nihil ex eo amplius eruere potui.

Caeterum nunquam fuit Anastasius noster patriarcha Antiochenus. Habebat enim eo tempore Antiochia alios suos patriarchas, etsi plerumque ob Mohammedanorum tyrannidem exules, tamen hoc titulo insignitos, ut videre

---

[1]) praef. in Joann. Dam. [2]) opusc. select. 239 et 243.
[3]) in dissert. de epist. Julii Papae. [4]) scriptt. vett. nov. col. VII. p. V.
[5]) ibid. p. 1—73.

est apud doctissimum Lequienum [1]. Neque etiam, cum saepius laudetur a Michaele Glyca in Annalibus, eum unquam patriarcham vocari reperi, sed solum Sinaitam. Sed et ipse Joannes Damascenus in suis orationibus „de sacris imaginibus“ diversos citat Anastasium Antiochenum et Anastasium Sinaitam in hunc modum: *„Τοῦ ἁγιωτάτου καὶ μακαριωτάτου ἀρχιεπισκόπου Θεοπόλεως καὶ πατριάρχου Ἀναστασίου“* [2] et: *„Τοῦ ἁγίου Ἀναστασίου τοῦ ἁγίου ὄρους Σινᾶ“* [3]. Hinc jam celeberrimus vir Michael Lequienus conclusit, Anastasium hunc Sinaitam purum ac simplicem monachum fuisse, qui post natam Arabum seu Mohammetis superstitionem scripsisset [4]. Itaque ut hunc Anastasium meum cum duobus illis Anastasiis Antiochenis colligam, illi non fuerunt Sinaitae [5], iste non fuit patriarcha.

Caeterum qualem mentem habuerit de fide orthodoxa, de ratione modoque veritatem catholicam defendendi, de sacra Scriptura et SS. Patribus, de sacris conciliis, qualem vero se gesserit doctorem et vere Hodegum, ex ejus ipsius verbis, quae ex variis scriptis supra passim allegavi, jam satis judicari potuisti. Verba enim quasi speculum quoddam animi videntur. Fuit sane sui temporis vir clarissimus, Scripturae sacrae et SS. Patrum peritissimus columenque orthodoxae fidei planeque dignus qui a posterioribus *Μωσῆς νέος* appellaretur [6]. Quid autem de sanctissima Eucharistia senserit, mox proprio loco videbimus. Nunc vero pauca de monte Sinai subjungere mihi visum est, ut qui Anastasio meo nomen dederit [7].

---

[1]) Or. Christ. Par. 1740 tom. II. col. 738—744.

[2]) Patrol. Gr. Ed. Mign. tom. 94. p. 1316 et 1412.

[3]) ibid. p. 1393 et 1416.

[4]) Or. Christ. tom II. col. 737.

[5]) vid. supra pag. 14. [6]) Ceillier l. c. p. 430.

[7]) Excerpi pleraque ex libro, cui titulus: „Schauplatz der heiligen Schrift von Dr. Lorenz Clem. Gratz, 2. Aufl. München 1858.“ pag. 130 seqq., ubi plura etiam invenies.

Erat igitur iste mons Arabiae Petraeae a primis Ecclesiae temporibus Christianis non minus quam Judaeis inprimis sanctus [1]). Insignis enim erat Dei colloquiis cum Moyse et lege V. T. tradita. Eo etiam temporibus persecutionum multi fideles ex Aegypto confugiebant [2]). Deinde saeculis tertio et quarto multi etiam anachoretae eo se recipiebant, qui in specubus circum disjectis habitabant et solum statutis diebus apud antistites suos et magistros conveniebant. Medio saeculo quarto ibi morabatur Silvanus quidam, abbas et anachoreta Aegyptius, complurium eremitarum antistes [3]). Circa a. 373. Ammonius quidam, monachus Aegyptius, quum sacra Palaestinae loca visurus etiam in montem Sinai venisset, ibi invenit multos eremitas, sub Dula quodam antistite constitutos, qui parcissimo victu fruebantur, et per omne sabbatum congregati, quum noctem sacris orationibus peregissent, die Dominica sacram Eucharistiam recipiebant, quo facto rursus in suas quisque cellas revertebantur [4]). Eodem fere tempore viri sancti, orationi et meditationi abstinentiaeque dediti, per Saracenos exterriti sunt atque quadraginta ab illis monachi occisi, quorum Ecclesia memoriam agit die 14. mensis Januarii. Exstat etiam in piam eorum recordationem monasterium quoddam, cui nomen Erbain, i. e. Quadraginta, in valle quae dicitur el Ledscha [5]). Iidem Saraceni in Raithu, quod idem habetur cum eo quod nunc est Tor in littore maris rubri situm, et denuo in monte Sina circa a. 390. monachos interfecerunt, ut testatur S. Nilus [6]). Medio saeculo quinto in monte Sinai

---

[1]) cf. Qu. 117 supra p. 85. [2]) Citatur Euseb. h. e. 6, 42.

[3]) Cit. Tillemont, mémoires pour servir à l' histoire eccl. X. 448 sqq. Cotelier, eccl. graec. mon. I. 563 sqq.

[4]) Tillemont l. c. VII. 573 seqq.

[5]) Cfr. Quaresmius, Elucid. terrae s. II. 996.

[6]) Cit. S. Nili opera ed. Petro Possino. Lut. Par. 1369. Acta SS. Januar. T. I. 953 seqq.

jam complura monasteria exstructa erant, et in synodo a. 536. Constantinopoli habita subscripsit etiam Theonas quidam presbyter et legatus sancti montis Sinai et eremi Raithu et sanctae Ecclesiae Pharanensis [1]). Saeculo sexto Justinianus Imperator exstruendum curavit monasterium munitum, quo monachi ab Ismaelitarum incursibus protegerentur [2]). Ibi etiam Gregorius ille, qui postea Anastasio priori Antiocheno exuli in patriarchae locum suffectus est, teste Evagrio [3]) ab Arabibus, quos vocabant Scenitas, obsessus in gravissima pericula incidit, nihilominus tamen ei loco altissimam pacem reconciliavit. Praeter monasterium recens exstructum Antonius Martyr sub finem ejusdem saeculi sexti etiam vidit Ecclesiam in vertice montis Sinai aedificatam et multas monachorum cellas circum erectas. Deinde saeculi septimi initio Gregorius etiam Magnus, Romanus Pontifex, S. Joanni Climaco abbati montis Sinai laenas misit 16, rachanas 30, lectos 15 in Gerontocomium i. e. senum domicilium a quodam Isauro illic exstructum; pretium quoque de emendis culcitris vel naula dedit [4]). — Claruerunt autem in eo monte ante Anastasium nostrum inprimis: S. Nilus, S. Chrysostomi amicus, qui ibi monachum professus et sacerdos factus obiit circa a. 430, deinde idem ipse S. Joannes Climacus, quem modo dixi, qui et Sinaita cognominatur, obiit autem circa a. 605, die 30. Martii. Eo vero tempore, quo Mohammedani Palaestina et Aegypto aliisque terris potiebantur, et Anastasius noster ipse vivebat, ex Gratzii judicio ad septem millia monachorum in monte Sinai et reliquis locis peninsulae Sinaiticae fuisse censeas;

---

[1]) Cit. Harduin, Acta concilior. II. col. 665. 685. 1281. 1304. Le Quien Or. Chr. III. 750.

[2]) Cit. Eutychii annal. Oxon. 1658. II. 160 seqq. Acta SS. Mai T. II

[3]) Evagr. H. E. lib. T. cap. 6. cf. supra p. 7.

[4]) reg. epist. lib. XI. ind. IV. ep. 1. Migne Patr. Lat. t. 77. 3. col. 1119.

sed deinceps in dies minor evasit Christianorum numerus. Attamen etiam saeculo quarto decimo septem monasteria erant in peninsula Ecclesiaeque multae, atque in ipso Sinai degebant quadringenti monachi [1]). Et etiamnunc ibi exstat monasterium Graecum cum Bibliotheca, quae complures codices manuscriptos Graecos et Arabicos continet. Hoc in monasterio conquiescit etiam corpus S. Catharinae, ab angelis mirabiliter in Sinai delatum, postquam sapientia sua philosophos Aegyptios convicit et de immanissimis tormentis triumphavit [2]).

---

[1]) cf. Reissbuch des heiligen Landes. Frankfurt 1629 p. 839.

[2]) Gratz l. c. p. 132; cf. etiam Jos. Mariae Suaresii librum chronologicum de Vita S. Nili, (Migne PP. Gr. t. 79 col. 1384 seqq.), ubi etiam Anastasii Sinaitae fit mentio, sed falso dicitur Archiepiscopus Antiochenus, qui ad ann. 554. vixerit, quem errorem mihi jam satis correxisse videor.

CAPUT VIII.

QUALEM MENTEM DE SS. EUCHARISTIA HABUERINT ANASTASIUS SINAITA ET ANASTASIUS PRIOR ANTIOCHENUS.

Qualem Anastasius noster Sinaita de SS. Eucharistia mentem habuerit, ex ejus ipsius verbis non paucis judicare licet. Dicit enim in Hodego cap. 13. [1]) contra Timotheum [2]) Monophysitam: „Impius est Timotheus," cum ait: „„Natura Christi post incarnationem est sola divinitas"". Si enim Christus est sola divinitas, divinitas vero sub visum et tactum non cadit, neque sacrificari potest, membrorum simul et esus expers; liquido conficitur, Timotheum, Judaèorum instar, inficiari sacrificium et communionem sacratissimorum mysteriorum corporis et sanguinis Christi, neque credere vereque confiteri corpus et sanguinem Christi visibile, creatum et terrestre esse, quod offerens tradit his verbis populo: „„Corpus et sanguis Domini et Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi"". Si enim solam divinitatem naturam Christi esse asserit, teneri autem, et frangi, et dividi, et in partes distribui, et effundi, et exhauriri, et transmutari, et dentibus conteri, a divinitate prorsus abhorret, in alterutram foveam Timotheus incidat oportet; ut aut divinitatem passibilem et mutabilem statuat, aut neget corpus et sanguinem Christi, quae offert et manducat in mystica mensa, traditque his verbis populo: „„Corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi"". Debebat enim potius sumentem ita alloqui: „„Sola divinitas Domini nostri Jesu Christi"" [3]). Similiter

---

[1]) col. 208 et 209. [2]) cf. supra p. 20. not. 2.

[3]) Εἰ γὰρ μόνη θεότης ἐστὶν ὁ Χριστὸς, ἡ δὲ θεότης ἀόρατός ἐστι, καὶ

contra Monophysitas contendit, naturam propriam esse corpus Christi, „quod sub aspectum cadat, quod comprehendatur, quod augmentum capiat, quod fasciis involvatur, quod circumcidatur, tangatur, ligetur, colaphis caedatur, occidatur, transfigatur, portetur et sepeliatur, quod immoletur, frangatur, dividatur, manducetur, conteratur, distribuatur“ [1]). Et paulo post: „Naturam corporis Christi non solum fide novimus (sicut ejus divinitatem), sed ipsa experientia rerum quas vidimus et contrectavimus, illudque quotidie in natura sua et veritate communicantes manducamus“ [2]).

Denique caput 23. refert disputationem quandam inter

ἀψηλάφητος, καὶ ἄθυτος, καὶ ἀμέλιστος, καὶ ἄβρωτος, πρόδηλός ἐστιν ὁ Τιμόθεος ἀρνούμενος, ὥσπερ Ἰουδαῖοι, τὴν θυσίαν καὶ κοινωνίαν τῶν ἁγίων μυστηρίων, καὶ μὴ πιστεύων μήτε ὁμολογῶν ἐν ἀληθείᾳ σῶμα καὶ αἷμα ὁρατὸν καὶ κτιστὸν καὶ γηγενὲς Χριστοῦ εἶναι, ὃ προσφέρων μεταδίδωσι τῷ λαῷ λέγων· „Σῶμα καὶ αἷμα τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.“ Εἰ γὰρ φύσιν Χριστοῦ μόνην θεότητα εἶναι λέγει, ἀλλότριον δὲ θείας φύσεως τὸ κρατεῖσθαι, καὶ κλᾶσθαι, καὶ μερίζεσθαι, καὶ θρύβεσθαι, καὶ ἐκχεῖσθαι, καὶ κενοῦσθαι, καὶ μεταβάλλεσθαι, καὶ ὑπὸ ὀδόντων κατατέμνεσθαι, εἰς ἓν ἐκ τῶν ὁποτέρων βόθρων ὁ Τιμόθεος πίπτει· ἢ παθητὸν καὶ ῥευστὸν λέγων τὸ θεῖον, ἢ ἀρνούμενος τὸ σῶμα καὶ αἷμα Χριστοῦ, ὅπερ προσάγει καὶ ἐσθίει ἐπὶ τῆς μυστικῆς θυσίας καὶ μεταδίδωσι λέγων τῷ λαῷ· „Σῶμα καὶ αἷμα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.“ Ἐχρῆν γὰρ αὐτὸν μᾶλλον πρὸς τὸν μεταλαμβάνοντα λέγειν· „Θεότης μόνη τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.“

[1]) Hodeg. c. 14. col. 248 D: „Ἔστι ... ὄντως ἐκπλήξεως ἀνάπλεων, ὅτιπερ τὸ ὁρώμενον σῶμα, καὶ κρατούμενον, καὶ αὐξούμενον, καὶ σπαργανούμενον, καὶ περιτεμνόμενον, καὶ ψηλαφώμενον, καὶ δεσμούμενον, καὶ ῥαπιζόμενον, καὶ σφαζόμενον, καὶ κεντούμενον, καὶ βασταζόμενον, καὶ θαπτόμενον, καὶ θυόμενον, καὶ κλώμενον, καὶ μελιζόμενον, καὶ ἐσθιόμενον, καὶ θρυπτόμενον, καὶ μεταδιδόμενον, φάσκουσι μὴ εἶναι φύσιν κ. τ. λ.

[2]) Πόθεν τὸν δι' ἐναντίας πείθουσιν (οἱ Μονοφυσῖται), ὅτι Θεός ἐστιν ὁ Χριστός, εἰ μὴ πίστει μόνῃ ἀπεριέργῳ; Τὴν δὲ τοῦ σώματος αὐτοῦ φύσιν, οὐ μόνον πίστει, ἀλλὰ καὶ δι' αὐτῆς τῆς πείρας τῶν πραγμάτων, ὧν ἑωράκαμέν τε καὶ ἐψηλαφήσαμεν, καὶ καθ' ἡμέραν φύσει καὶ ἀληθείᾳ μεταλαμβάνομεν ἐσθίοντες. col. 252. B.

hominem orthodoxum et Gajanitam [1]) Alexandriae habitam, quam vult etiam alii imitentur, hoc modo [2]):

Orthodoxus. Num res fide digniores sunt, quam verba? an verba firmiora rebus?

Gajanita. Manifestum, arbitror, res fide digniores esse verbis.

Orthodoxus. Recte respondisti secundum legem veritatis et pietatis. Sed dic mihi, obsecro, si, ut divinitas, ita et corpus Christi ab ipso summae unionis exordio ab omni ratione immortalitatem habet, haec communio sacratissimi corporis et sanguinis Christi, quam offers et participas, verene est verum corpus et sanguis Christi Filii Dei, an nudus panis, qualis ostiatim venditur, vel vicem duntaxat et figuram gerit corporis Christi, ut sacrificium hirci, quod Judaei offerunt? [3])

Gajanita. Absit, ut dicamus, sacram communionem figuram esse tantum corporis Christi, aut nudum panem, sed ipsum corpus et sanguinem Christi Filii Dei incarnati et ex sanctissima Deipara et semper Virgine Maria nati vere accipimus [4]).

Orthodoxus. Sic credimus et sic confitemur juxta dictum ipsius Christi ad discipulos in coena mystica dantis illis vivificum panem: „Accipite, comedite; hoc est corpus

---

[1]) cf. supra p. 28. [2]) col. 297.

[3]) Εἰπέ μοι, παρακαλῶ, ὁ λέγων ἐξ αὐτῆς ἄκρας ἑνώσεως κατὰ πάντα τρόπον ἐν ἀφθαρσίᾳ εἶναι καὶ τὴν θεότητα καὶ τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, αὕτη ἡ κοινωνία τοῦ παναγίου σώματος καὶ αἵματος Χριστοῦ, ἣν προσφέρεις καὶ μεταλαμβάνεις, σῶμα καὶ αἷμα ἀληθινόν ἐστι Χριστοῦ τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, ἢ ψιλὸς ἄρτος, ὡς ὁ πιπρασκόμενος κατ' οἶκον, καὶ ἀντίτυπος τοῦ σώματος Χριστοῦ, ὡς ἡ θυσία τοῦ τράγου, ἣν Ἰουδαῖοι προσάγουσιν;

[4]) „Μὴ γένοιτο, ἡμᾶς εἰπεῖν ἀντίτυπον τοῦ σώματος Χριστοῦ τὴν ἁγίαν κοινωνίαν ἢ ψιλὸν ἄρτον· ἀλλ' αὐτὸ τὸ σῶμα καὶ αἷμα ἀληθῶς Χριστοῦ τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ μεταλαμβάνομεν, τοῦ σαρκωθέντος καὶ γεννηθέντος ἐκ τῆς ἁγίας Θεοτόκου καὶ Ἀειπαρθένου Μαρίας."

meum [1]). Similiter et calicem dedit illis dicens: „Hic est sanguis meus“ [2]). Non dixit: Hoc est figura seu quid vices gerens corporis et sanguinis mei. Et pluribus aliis locis ait Christus: „Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam“ [3]). Cum igitur ipse Christus fateatur, vere esse corpus suum et sanguinem, quem nos fideles offerimus et sumimus: agedum affer nobis aliquid ex communione vestrae ecclesiae, tanquam super omnem aliam ecclesiam, ut dicis, orthodoxae, et in vase cum omni honore et reverentia reponemus hoc sanctum corpus Christi et sanguinem. Et si intra paucos dies non corrumpatur, aut immutetur, aut alteretur, planum fiet vos recte asserere, Christum ab ipso incarnationis exordio ex omni parte corruptionis expertem esse. Si vero corrumpatur aut immutetur, necesse erit ut unum e duobus fateamini: aut id quod sumitis, non esse verum corpus Christi, sed solam figuram et nudum panem; aut propter perversam fidem vestram, Spiritum sanctum in illud non descendisse; aut corpus Christi ante resurrectionem corruptioni subjectum esse, utpote immolatum et morti traditum et vulneratum et divisum et manducatum. Nam incorruptibilis natura neque scinditur, neque latere et manibus vulneratur, neque in partes dividitur, nec morti datur, neque manducatur, neque teneri potest neque tangi; ut patet exemplo incorruptibilium naturarum angeli et animae“ [4]).

---

[1]) Matth. 26, 26. [2]) ibid. 28. [3]) Joh. 6, 55.

[4]) „Οὕτω πιστεύομεν καὶ οὕτως ὁμολογοῦμέν κατὰ τὴν φανὴν αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ, ἣν πρὸς τοὺς μαθητὰς ἐπὶ τοῦ δείπνου τοῦ μυστικοῦ μεταδιδοὺς αὐτοῖς τὸν ζωοποιὸν ἄρτον ἔλεγε· „Λάβετε, φάγετε· τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα.“ Ὡσαύτως καὶ τὸ ποτήριον μεταδιδοὺς αὐτοῖς φησι· „Τοῦτό μού ἐστι τὸ αἷμα.“ Οὐκ εἶπεν, τοῦτό ἐστι τὸ ἀντίτυπον τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματός μου. Καὶ ἐν ἑτέροις δὲ πλείοσι τόποις φαίνεται ὁ Χριστὸς εἰπών, ὅτι „Ὁ τρώγων μου τὴν σάρκα καὶ πίνων μου τὸ αἷμα, ἔχει ζωὴν αἰώνιον.“ Λοιπὸν αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ μαρτυροῦντος, ὅτι σῶμα αὐτοῦ ἐστιν ἀληθῶς καὶ αἷμα, ὅπερ οἱ πιστοὶ προσ-

Sensit itaque Anastasius noster, in Eucharistia esse vere, realiter et substantialiter, etiam ante esum, corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, non ejus antitypum seu figuram seu panem nudum, qualis ostiatim venditur. Atque ut impanistarum qui dicuntur, sententiae faveat, tantum abest, ut ipsas etiam commutationes, quae in panis et vini speciebus accidunt, ut quum species franguntur, sumuntur, dentibus teruntur, corrumpuntur, ipsi corpori Christi attribuat, non destinguens inter accidentia quae remanent, et quod iis velatur corpus Domini, atque inde etiam contra Monophysitas argumentum petat, quum divinitas nullis commutationibus obnoxia esse possit; id quod nullius momenti esset argumentum, si panem cum corpore adesse vel remanere sensisset. Poterat enim sibi ipse objicere, eas commutationes in panem cadere, nec proinde contra Monophysitas aliquid profici. Sed non solum ipsum ita de SS. Eucharistia sensisse ex iis locis conjicitur, verum etiam ejusdem temporis haereticos, quum hujusmodi argumenta contra ipsos protulerit, nihil veritus, ne sibi panem esse objicerent, quod tangeretur, quod frangeretur, ederetur, corrumperetur. Liquet igitur, Anasta-

---

άγοντες μεταλαμβάνομεν· ἄγαγε ἡμῖν ἐκ τῆς κοινωνίας τῆς ὑμετέρας ἐκκλησίας, ὡς ὀρθοδόξου οὔσης, ὡς λέγεις, ὑπὲρ πᾶσαν ἄλλην ἐκκλησίαν. Καὶ ἀποτιθοῦμεν ἐν πάσῃ τιμῇ τὸ τοιοῦτον ἅγιον σῶμα Χριστοῦ καὶ αἷμα εἰς σκεῦος ἐνδόξως, καὶ ἔντος ὀλίγων ἡμερῶν, ἐὰν μὴ φθαρῇ, ἢ τραπῇ, ἢ ἀλλοιωθῇ, πρόδηλον, ὅτι καλῶς κηρύττετε τὸν Χριστὸν κατὰ πάντα τρόπον ὄντα ἐξ αὐτῆς ἄκρας ἑνώσεως ἐν ἀφθαρσίᾳ. Εἰ δὲ φθαρῇ ἢ ἀλλοιωθῇ, ἀνάγκη πᾶσα ἡμᾶς (an ὑμᾶς?) ἓν ἐκ τῶν ὁποτέρων εἰπεῖν· ἤ, ὅτι οὐκ ἔστιν, ὃ μεταλαμβάνετε, σῶμα ἀληθινὸν Χριστοῦ, ἀλλ' ἀντίτυπον, καὶ ψιλὸν, ἢ ὅτι διὰ τὴν κακοπιστίαν ἡμῶν (an ὑμῶν?), οὐκ ἐπεφοίτησε εἰς αὐτὸ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον· ἢ ὅτι φθαρτόν ἐστι τὸ σῶμα Χριστοῦ πρὸ τῆς ἀναστάσεως, ὡς θυόμενον, καὶ νεκρούμενον, καὶ τιτρωσκόμενον, καὶ μελιζόμενον, καὶ ἐσθιόμενον. Ἄφθαρτος γὰρ φύσις, οὔτε τέμνεται, οὔτε τιτρώσκεται πλευρὰν, καὶ χεῖρας, οὔτε μελίζεται, οὔτε νεκροῦται, οὔτε ἐσθίεται, οὔτε ὅλως κρατεῖται ἢ φηλαφᾶται· οἵα ἐστὶν ἡ ἄφθαρτος τῶν ἀγγέλων καὶ τῶν ψυχῶν φύσις."

sium nostrum, immo etiam ejusdem temporis haereticos, unanimi sententia transsubstantiationem in SS. Eucharistia credidisse, etsi hanc ipsam vocem non adhibuerint. Quin usque adeo procedit Anastasius contra Gajanitas, ut sentire videatur, in Eucharistia tale Christi corpus adesse, quale fuit ante resurrectionem, i. e. corruptibile. Dicit enim, „incorruptibilem naturam non scindi, neque dividi, neque edi", quemadmodum scindi et dividi et edi corpus Christi.

Haec sunt quae ex Hodego patent. Multa deinde nec levia de SS. Eucharistiae Sacramento et sacrificio testimonia habes in oratione „de sacra synaxi", quae communiter Anastasio nostro attribuitur, et quam magnam partem tibi supra proposui [1]). Hic solum illa verba iterum notare juvat, quibus dicit: „Sacerdotem post consecrationem sacrificii illius incruenti elevare panem vitae et omnibus ipsum ostendere [2]).

Ab hac Anastasii nostri quam hucusque vidimus sententia minime recedit liber XII. in Hexaemeron, quem quidam transsubstantiationi haud favere voluerunt. Nam explicans illum locum Gen. 3,22: „Ne forte mittat manum suam et sumat de ligno vitae, et comedat et vivat in aeternum", his verbis disserit [3]): „Sicut, inquit, non de corporea morte dixit Deus: „„Qua die de illo mandubabitis, morte moriemini"" [4]), sic et hic intelligendum est.... Quis autem est cibus, cujus particeps vivet in aeternum? Scio quidem vos omnes, simulatque hoc verbum audistis, statim de participatione mysteriorum corporis Christi cogitasse. Quid igitur, dic mihi, omnes qui in Ecclesia participant, habent vitam aeternam neque quisque eorum in poenam aeternam deveniet? Atqui Corinthiis mysteriorum participantibus statim ea ipsa participatio in mortem cessit [5]),

---

[1]) supra p. 137 sqq. [2]) cf. supra p. 142 not. 3.
[3]) col. 1066 seqq. [4]) Gen. 2, 17. [5]) I Cor. 11, 30.

quin etiam bonum erat ei si natus non fuisset homo ille Judas qui ab immaculatis Christi manibus ipsis particeps factus est[1]"... „Unde liquet, non solam panis participationem esse cibum, quem qui manducaverit, habeat vitam aeternam[2]"... „Dupliciter" enim, inquit, „mysteriorum participes fimus. Et illi quidem, qui iis digni sunt, fruuntur illo pane, qui descendit de coelo semper, i. e. inhabitatione et splendore sanctissimi Patris divinitatis Christi, quippe qui divina et coelestia meditentur. Terreni vero terrenaque sapientes terrenae carnis Christi ejusque solius participes fiunt temere et indigne[3]". — Atque in hunc modum etiam verba illa: „Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum[4]", et: „Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo"[5]), non de sola communione corporis et sanguinis Domini interpretatur. „Non de visibili, inquit, suo corpore et sanguine Dominus haec loquitur. Particeps enim fuit et Judas, et Simon Magus corporis et sanguinis Eucharistiae, panis et calicis, neque tamen Christus mansit in eis neque ipsi in Christo[6]". Quae autem sit vera manducatio mysticae carnis Christi, et quis in ea reconditus ineffabilis sanguis ejus, hoc ut tradant, dicit se doctioribus et peritioribus relinquere[7].

---

1) col. 1066 B.

2) col. 1068 A: „ὥστε πρόδηλον, ὅτι οὐχ ἡ τοῦ ἄρτου μετάληψις μόνη ἐστὶν ἡ βρῶσις, ἐξ ἧς φαγών τις ἔχει ζωὴν ψυχῆς τὴν αἰώνιον."

3) col. 1068 D: Διττῶς μετέχομεν τῶν μυστηρίων, οἱ μὲν ἄξιοι ἐκείνων ἀπολαύουσι τοῦ ἄρτου τοῦ καταβαίνοντος ἀεὶ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, τοῦτ᾽ ἔστι, τῆς ἐνοικήσεως καὶ ἐκλάμψεως τοῦ παναγίου Πατρὸς τῆς θεότητος τοῦ Χριστοῦ, ὡς τὰ θεῖα καὶ οὐράνια φρονοῦντες. Οἱ δὲ γήϊνοι καὶ τὰ γήϊνα φρονοῦντες τῆς γηγενοῦς καὶ μόνης σαρκὸς τοῦ Χριστοῦ μεταλαμβάνουσιν τολμηρῶς καὶ ἀναξίως.

4) Joh. 6, 52. 5) Joh. 6, 55.

6) col. 1070 B: „Οὐ περὶ τῆς ὁρωμένης αὐτοῦ σαρκὸς καὶ αἵματος λέγει· μετέλαβε γὰρ καὶ Ἰούδας καὶ Σίμων ὁ Μάγος τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τῆς εὐχαριστίας, τοῦ ἄρτου καὶ τοῦ ποτηρίου, ἀλλ᾽ οὐ κατῴκησεν, οὐδὲ μεμένηκεν ἐν αὐτοῖς ὁ Χριστός, οὐδὲ αὐτοὶ ἐν αὐτῷ."

7) col. 1070C.

Non video, quomodo haec Anastasii verba transsubstantiationi repugnent. Immo quum dicat etiam indignos in communione suscipere carnem Christi terrenam sive de terra natam (γηγενῆ) et visibilem, haud obscure in ejus gratiam pronuntiat. Caeterum num haec verba a catholica mente dissentiant, catholicus lector discernat. Sane eundem in modum loquitur divus Augustinus sub finem Tractatus 26. in Joann.[1]).

Optimam ergo Anastasium nostrum Sinaitam de SS. Eucharistia habuisse mentem concludimus, nisi quod inter accidentia panis et vini quae remanent, et quae iis absconduntur corpus et sanguinem Christi, forsitan prae disputationis fervore parum distinguens, quae in speciebus accidunt commutationes ipsi corpori et sanguini attribuit, adeoque etiamnunc post resurrectionem corpus Dominicum corruptibile in Eucharistia adesse putavit, quamquam naturale corpus Christi post resurrectionem incorruptibile fuisse suis locis asserit[2]).

Sed hoc quidem omnes conveniunt, etiam qui Calvini partes tenent, Hodegi auctorem aperte in gratiam transsubstantiationis loqui et velle, corpus Christi et sanguinem vere et realiter substantia sua contineri sub speciebus panis et vini post benedictionem in Eucharistia[3]).

Contra autem sensisse vult Aubertinus Anastasium illum priorem episcopum Antiochenum in orationibus suis „de rectis veritatis dogmatibus"[4]), nempe Christi corpus et sanguinem haudquaquam vere et realiter, sed in virtute tantum ac figura exstitisse sub pane et vino Eucharisticis[5]).

---

[1]) Vid. Brev. Rom. in festo SS. Corp. Christi. Lect. 7 et 8.

[2]) cf. cap. 23. col. 299 seqq.

[3]) Oudin. tom. II. col. 575 seqq.

[4]) cf. supra p. 148.

[5]) Aubert. lib. 2. de sacr. Euch. p. 894 et lib. 3. p. 904 apud Oudin. tom. II. col. 575 seqq. Quod audem exinde Oudinus dicit de Anastasio

Et hoc quidem conjicit ex duobus locis. Prior est in or. I. de Trinitate his verbis[1]): „Dicitur Spiritus Dei et Spiritus Christi, non sicut ministrantes Spiritus ad ministerium missi: illi enim circumscriptam substantiam habent, ita ut non posset, exempli gratia, Gabriel esse in coelo simul et apud Virginem; nec apud Danielem in Babylonia et in Judaea apud Habacum: siquidem creata est natura ejus. At Spiritus sanctus qui omnia implet, et in Judaea aderat prophetis; et captivis in Babylonia; et eos qui in Aegypto erant, non deserebat; omnibus praesens, ut quisque capax erat, et sapientiam tradens pro proportione fidei. Siquidem omnes apostolos implevit: „Et loquebantur variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat in eis eloqui" [2]); et peregrinabatur cum peregrinantibus; et cum commorantibus commorabatur, individue et impartibiliter cum omnibus habitans; et Antiochiae Barnabam et Saulum ordinabat; et cum Petro atque Joanne in Samaria aderat; et ad alios quidem veniebat per impositionem manuum apostolorum per quos loquebatur; alios vero ad praedicandum mittebat, alios non sinebat ire quo volebant. Haec omnia sunt exempla divinarum operationum, quibus substantia aperte declaratur."

Nonne stupescis, amice lector? Hisne verbis aliquid dici de Eucharistia, immo negari, Christi corpus et sanguinem in Eucharistia vere et realiter esse? Sed utique, inquit Aubertinus, „hic locus insignis est, quamvis indirecte tantum quaestionem nostram attingat. Dicit enim, angelos in pluribus simul locis esse non posse, quod circumscriptam substantiam habeant, deinde quod natura illorum creata sit. Intelligit ergo, nullam substantiam circumscriptam atque

---

suo quarto, nempe eum in Hodego mentem mutasse, non est amplius respiciendum, quum eas orationes de rectis veritatis dogmatibus omnino false Anastasio suo quarto attribuat, ut omittam, hunc ipsum ab eo esse fictum. cf. supra p. 152.

[1]) col. 1328 BC. [2]) Act. 2, 4.

naturam creatam simul esse posse in pluribus locis, sed hoc esse attributum et proprietatem solius Divinitatis. Atqui corpus Christi est circumscriptum et natura creata, ergo non potest esse in pluribus simul locis, nec in Eucharistia utique, quandoquidem semper in coelo est. Ergo ex Anastasii mente corpus Christi in Eucharistia vere et realiter esse non potest, sed in virtute tantum ac figura."

Sed notandum est, hanc ipsam quaestionem, quomodo corpus Christi in Eucharistia simul esse possit in pluribus locis, difficillimam esse ideoque non licere, de ea mentem auctoris ex ullis ejus verbis „indirecte" tantum deducere, quum auctor de ea disserere minime intendat, nedum ex professo dicat. Atqui eo ipso loco Anastasius probare vult, Spiritum sanctum esse Deum, Patri et Filio consubstantialem, ut patet ex ejus ipsius verbis, quae subsequuntur [1]: „Multis digressionibus usus sum et fortasse non inutiliter, cum propositum fuerit demonstrare, eandem esse substantiam et aequalitatem personarum. Longe enim alienum est a sancta Trinitate, dicere in ea majus et minus." Nullatenus autem loqui intendit de mysterio SS. Eucharistiae. Praeterea Anastasius hic loquitur de viribus naturae creatae naturalibus, neque negat, Deum modo supranaturali efficere posse, ut aliquis natura, quamvis creata, simul existere possit in pluribus locis. Atqui hic ipse modus, quo corpus Christi in Eucharistia adest, secundum doctrinam catholicam non est modus existendi naturalis, sed supranaturalis, et „quem etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo cogitatione per fidem illustrata assequi possumus" [2]. Itaque ex eo loco concludere, Anastasium sensisse corpus Christi et sanguinem in Eucharistia non esse vere et realiter, sed in virtute tantum ac figura, mihi quidem jam non videtur concludere, sed contorquere, ut omittam, Aubertinum

---

[1]) col. 1328 C. [2]) Trid. S. 13. cap. 1.

secundum hanc argumentandi rationem etiam negare debuisse, Anastasium sensisse, corpus Christi in Eucharistia esse vel in virtute tantum. Nam in orat. II. de „Incircumscripto“ fusius exponit, neminem ibi operari, ubi non sit, atque inde probat, Deum ubique substantia sua adesse, quia omnia operatione sua conservet [1]). Igitur secundum istam Aubertini argumentandi rationem eodem jure contra ipsum inverti potest: Aut ex Anastasii mente Christi corpus et sanguis in Eucharistia omnino non sunt neque utique in virtute, aut sunt in ea etiam substantia sua.

Sed jam videamus, cujusmodi sit alter locus, ex quo Aubertinus argumentum suum instituit. Dicit itaque Anastasius noster in orat. V. de „Resurrectione“ [2]): „Postquam, inquit, sepulcrum die tertio, qui vere humatus fuerat, reliquit, oportebat, ut rursus cum corpore assumpto ad Patrem qui miserat ascenderet qui descenderat ad tollendum peccatum mundi. Non enim erat imposterum terra locus idoneus et aptus corpori, quod crassitudinem carneam deposuerat et ex corruptibili factum erat incorruptibile, ex mortali immortale, ex animali spirituale. Sicut enim locus terrenus corporum domicilium est, sic locus coelestis spiritualium.“ Ut patet, hoc loco Anastasius agit de ascensione Christi in coelos, nihil autem dicit, quod vel longissime spectet ad sacrosanctum Eucharistiae sacramentum. Attamen Aubertinus: „Quomodo, inquit, dicere posset, terram non esse amplius locum idoneum corpori Domini, si centies et millies amplius etiam nunc in terra est, quam ante resurrectionem et in coelos ascensionem in ea esset, idque ut Pontificii

---

[1]) col. 1333 A: „Qnamdiu fit id in quo versatur operatio, tamdiu necessario adest natura operantis: nemo namque absens potest aliquid operari. Igitur quia semper omnia Deus operatur et conservationem universi sine cessatione continuat, necesse est Deum esse in omnibus et a nulla re separatum“.

[2]) col. 1359 C.

volunt, usque ad consummationem saeculi? Dicere contra debuerat, terram jam effectum esse locum magis idoneum corpori quam antea fuisset"[1]). Sed respondendum est, Anastasium hic loqui de corpore Domini glorificato naturali, non de corpore sacramentati et eucharistico.

Quod itaque Aubertinus vult Anastasium episcopum Antiochenum de SS. Eucharistia sensisse, mihi non probatur. Immo Anastasium ipsum Aubertino repugnare censeo, dum in orat. IV. de „Passione et Impassibilitate Christi" haec ait[2]): „Necesse est omnino putare in compositione Christi aliud quid praeter corpus et animam, utroque quidem nobilius, praestantiore vero principalius; quod quidem *pro auctoritate sua corpus in cibum discipulis dedit;* et animam pro amicis posuit: atque hac ratione nimiam charitatem in nos suam ostendit"[3]). Tria enim hoc loco Anastasius in Christo Domino distinguit: corpus, et animam, et quod est utroque nobilius, i. e. ut statim subjungit: „Divinum numen compositum sine passione cum terreno corpore"[4]), a quo et dicit corpus esse datum discipulis in cibum. Sine dubio autem respicit ad ultimam illam coenam, in qua Dominus Jesus „accepit panem et dedit discipulis suis, dicens: Accipite et comedite:. Hoc est corpus meum"[5]). Sensit itaque, Dominum Jesum tunc corpus suum discipulis dedisse vere et realiter, non solum in virtute ac figura. Nam quum tria distinguat, horum trium nullum restringit: neque etiam Divinitatem et animam dicit in virtute tantum ac figura, sed in se ipsis vere et realiter et substantia sua intellectas. Deinde dicit, Christum Deum id fecisse „pro auctoritate sua." Satis autem frustra haec verba interjecisset, si intellexisset, Christum corpus suum discipulis dedisse solum in

---

[1]) Oudin. tom. II. col 578 sq.
[2]) col. 1355 A. [3]) Eph. 2, 4. [4]) c. 1355 B.
[5]) Matth. 26, 26; I Cor. 11, 24.

virtute ac figura. Qua enim auctoritate opus fuit, ut Verbum divinum corpus suum daret in virtute tantum ac figura? Igitur ex Anastasii mente, qui auctoritate sua animam pro amicis posuit vere et realiter, non in virtute tantum ac figura, is utique etiam corpus in cibum dedit vere et realiter, non in virtute tantum ac figura. Sensit itaque Anastasius noster aperte in gratiam transsubstantiationis, nihil veritus, ne corpus Christi non posset esse simul in pluribus locis. Aut igitur Anastasius sibi ipse repugnat, quod absit, aut Aubertinus mentitur.

Habes itaque, benevole lector, testimonia clarissima et non recentia de sanctissimo Eucharistiae Sacramento, et, quam constans sit Ecclesiae catholicae traditio, testes tibi sunt hi nostri Anastasii, loco quidem et tempore in terris disjuncti, fide tamen uniti, sicuti nunc quoque eos conjunctos veneramur in coelis, ubi ut et nos sibi sociemur suis precibus impetrent.

APPENDIX.

Non abs re fore duxi, ultimas quatuor quaestiones Bavarici codicis Graeci LIII. [1]), quae editae nondum exstant hic partim recensere, partim etiam integras allegare.

1) *Quaestio* igitur *89.* sic inscribitur: „*Τί τὰ τέσσαρα θηρία ἅπερ ἑώρακεν Δανιὴλ ἀπὸ τῆς θαλάσσης ἀναβαίνοντα;*“ In *Responsione* praemittitur locus ille Danielis cap. 7, 2—12. Deinde subjungitur interpretatio, haec quatuor animalia esse quatuor imperia mundi, sc. Babyloniorum, Persarum, Graecorum, Romanorum.

2) Porro *quaestio 90.* hoc agit: „*Τί δὲ τὰ δέκα κέρατα τοῦ τετάρτου θηρίου;*“ et haec cornua decem quarti animalis interpretatur de regnis ex Romanorum imperio oriundis et sibi invicem adversantibus.

3) Deinde vero *quaestio 91.* haec disserit: „*Τί τὸ μικρὸν κέρας τὸ ἀναβὰν μέσον τῶν δέκα κεράτων, τὸ ἔχον ὀφθαλμοὺς καὶ στόμα λαλοῦν μεγάλα, καὶ ὅτι ἔρρηξεν ἐκ τῶν ἔμπροσθεν αὐτοῦ κέρατα τρία;*

Ἀπόκρισις.

Καὶ ἀναβήσεταί, φησιν, κέρας ἓν μικρὸν ἐνμέσῳ τῶν δέκα

[1]) Cf. de hoc codice cel. Hardtium in Aretini Beyträgen, &c. a. 1804. part. 1. p. 19 sqq. Falso autem Hardtius dicit, in qu. 1. locum illum ex Marco monacho deesse; solum enim minio non notatur. Item in qu. 20. ille locus: „Novimus et episcopum haereticum Cyzici“, non deficit, imo perspicue proprium titulum minio notatum prae se fert: „περὶ αἱρετικῶν ἐπισκόπων“.

κεράτων τοῦ θηρίου, ὅπερ ἐστὶν τοῦ ἀντιχρίστου. Καὶ ἐντρίψει καὶ ἐκριζώσει κέρατα τρία τῶν ἔμπροσθεν αὐτοῦ, τοῦτ' ἔστιν, τρεῖς βασιλεῖς ἀνελεῖ· Αἰγύπτου, Λιβύων καὶ Αἰθιόπων. Ἄρχεται λοιπὸν φυσιοῦσθαι ὑπὸ τοῦ ἐν αὐτῷ ἀλλοτρίου καὶ πονηροῦ πνεύματος, καὶ πόλεμον ἐγείρει κατὰ τῶν ἁγίων, πανταχοῦ διώκων αὐτοὺς, βουλόμενος ὑπὸ πάντων δοξάζεσθαι καὶ προσκυνεῖσθαι ὡς θεὸς, καὶ πολλὰ λαλήσει κατὰ τοῦ ὑψίστου. Καὶ μετὰ τὸ ὑποτάξαι αὐτὸν τοὺς ἑπτὰ βασιλεῖς τῆς Ἰουδαίας οἱ υἱοὶ Ἐδὼμ καὶ οἱ υἱοὶ Μοὰβ καὶ ἀρχὴ υἱῶν Ἀμμῶν ἀρχῆθεν συναίρουσιν αὐτῷ. Καὶ διὰ τὸ εἶναι αὐτὸν ἐκ τοῦ γένους αὐτῶν, τούτοις πρῶτον ἀναδειχθεὶς καὶ ὑπ' αὐτῶν βασιλεὺς κατασταθεὶς, παρατάξει πόλεμον κατὰ τῶν τριῶν κεράτων· Λιβύης καὶ Αἰγύπτου καὶ Αἰθιόπων, καὶ τρέψας αὐτοὺς ἀρεῖ ἀπ' αὐτῶν τὰ σκῦλα καὶ τὰ λάφυρα, καὶ ἐκριζώσει αὐτοὺς, καὶ ὑποταγέντων αὐτῷ καὶ τῶν λοιπῶν ἑπτὰ κεράτων, τότε ἄρχεται ὑψοῦσθαι κατὰ τοῦ Θεοῦ. Τὸ δὲ ὅρμημα αὐτοῦ πρῶτον ἔσται ἐπὶ Τύρον καὶ Βηρυτὸν καὶ τὰς πέριξ χώρας. Τὸ δὲ ὄνομα αὐτοῦ σημαίνει ψηφιζόμενον χξς' [1], *ὡς εἰπεῖν· Λ α τ ε ῖ ν ο ς. Καὶ ἐπισυνάξει λαὸν πολὺν, λέγων ἀνοικοδομῆσαι τὴν Ἱερουσαλήμ. Καὶ ποιήσει τέρατα διὰ φαντασιῶν πολλὰ, καὶ πλανήσει λαὸν πολὺν καὶ πιστεύσουσιν αὐτῷ. Γεννᾶται δὲ εἰς Χοραζὶν, ἀνατρέφεται δὲ εἰς Βηθσαιδὰ καὶ βασιλεύει εἰς Καπερναούμ.*

4) Denique *quaestio 92. et ea quidem hujus codicis ultima* haec est: „*Πότε ταῦτα καὶ ποίῳ καιρῷ γέγραπται ἡ τοῦ ἀντιχρίστου παρουσία;*“

Ἀ π ό κ ρ ι σ ι ς.

Μετὰ τὸ πληρωθῆναι τὴν προφητείαν τὴν τοῦ Ἱερεμίου τὴν ὑπὸ τοῦ Δανιὴλ [5]) *γνωρισθεῖσαν τῷ λαῷ ἐν Βαβυλῶνι, καὶ τὸν ἀριθμὸν τῶν ἑπτὰ ἑβδομάδων σὺν* [6]) *τοῦ εἰκοστοῦ*

---

[1]) Apoc. 13, 8.
[5]) Dan. 9, 24 seqq..
[6]) fortasse pro ἐκ.

πρώτου ἔτους τοῦ κατὰ τὴν τότε ἡμέραν παρῳχηκότος, ἤγουν συμπληρώσεως τῶν ἑβδομήκοντα χρόνων τῆς τοῦ ἁγιάσματος ἐρημώσεως, καὶ μετὰ τὸ ἐπιτρέψαι τὸν λαὸν ἀπὸ τῆς αἰχμαλωσίας, καὶ μετὰ τὸ οἰκοδομῆσαι πλατεῖαν καὶ τεῖχος καὶ τὴν πύλην καὶ τὸν ναὸν, καὶ μετὰ τὸ χρῖσαι χρῖσμα καὶ χρῖσαι Ἰησοῦν[1] *τὸν τοῦ Ἰωσεδὲκ τῷ ἐλαίῳ τῷ μυρεψικῷ ὃ ἐσκεύασεν ὁ μακάριος Μωυσῆς, καὶ μετὰ τὸ πληρωθῆναι τὰς ἑξήκοντα δύο ἑβδομάδας, ἤγουν τὰ τετρακόσια τριάκοντα τέσσαρα ἔτη, καὶ γεννηθῆναι τὸν προφητευόμενον κατὰ σάρκα Χριστὸν, τὸν ἀληθινὸν υἱὸν καὶ λόγον τοῦ Θεοῦ, καὶ μετὰ τὸ ἐκκενωθῆναι τοὺς καιροὺς καὶ κηρυχθῆναι τὸ εὐαγγέλιον ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ, καὶ τὸν ἀμνὸν*[2] *ἀντίχριστον ἔσεσθαι καὶ κυριεῦσαι καὶ θλίψεις ἀμέτρους προσαγαγεῖν, καὶ τὴν τούτου πλάνην κηρύξουσιν ἡμέρας χιλίας διακοσίας ἑξήκοντα, καὶ ἐν τῷ ἥμισυ τῆς ἐσχάτης ἑβδομάδος μετὰ τὸ κηρῦξαι τοὺς προφήτας ἀναφανήσεται ὁ ἀντίχριστος, „τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως ἡμέρας χιλίας διακοσίας ἐνενήκοντα, καὶ μακάριος ὁ ὑπομείνας καὶ φθάσας εἰς ἡμέρας χιλίας διακοσίας τριάκοντα πέντε“*[3]. *„Τότε γὰρ ἔσται θλίψις μεγάλη καὶ ὀδύνη, οἵα οὐ γέγονεν ἀπὸ καταβολῆς κόσμου“*[4]. *Ἐνὼχ δὲ καὶ Ἡλίας οἱ προφῆται κηρύξουσιν τὴν δευτέραν παρουσίαν τοῦ Κυρίου, περιβεβλημένοι σάκκους, ὡς γέγραπται διὰ τοῦ προφήτου· „Καὶ δώσω τοῖς δυσὶ μάρτυσί μου καὶ προφητεύσουσιν ἡμέρας χιλίας διακοσίας ἑξήκοντα, περιβεβλημένοι σάκκους“*[5], *καθὰ καὶ τῷ Δανιὴλ εἴρηκεν· „Καὶ διαθήσει διαθήκην πολλοῖς ἑβδομάδα μίαν, καὶ ἐν τῷ ἥμισυ τῆς ἑβδομάδος ἀρθήσεται θυσία καὶ σπονδὴ“*[6], *ἵνα δειχθῇ ἡ μία ἑβδομὰς εἰς δύο μεριζομένη, τῶν μὲν δύο προφητῶν κηρυσσόντων τοῖς λαοῖς ἔτη τρία ἥμισυ, τοῦ δὲ ἀντιχρίστου τὸ ἐπίλοιπον τοὺς ἁγίους πολεμοῦντος. Καὶ τοὺς μὲν δύο προφήτας καὶ μάρτυρας αὐτὸς ἀνελεῖ, τὸν δὲ κόσμον ἐρημίᾳ*

---

[1] Esr. 3, 2 (Vulg.). [2] an δεινόν? [3] Dan. 12, 11. 12.
[4] Matth. 24, 21. [5] Apoc. 11, 3. [6] Dan. 9, 27.

εἰς τὸ παντελὲς ἐρημώσει, ἵνα πληρωθῇ τὸ εἰρημένον· „Καὶ δώσουσιν βδέλυγμα ἐρημώσεως εἰς ἡμέρας χιλίας διακοσίας ἐνενήκοντα" [1]). Καὶ „σφραγίδα ἰδίαν ἐπὶ μετώπου καὶ ἐπὶ χεῖρας τοῖς ἀνθρώποις ἐγχαράξει" [2]), τῶν Ἰουδαίων τε καὶ ἐθνῶν ἐπιχαιρομένων ἐπὶ τῇ τῶν πιστῶν ἀπωλείᾳ, καὶ τῶν μὲν ἁγίων ἀπὸ δύσεως εἰς ἀνατολὴν καὶ εἰς μεσημβρίαν διωκομένων καὶ ἐν ὄρεσι καὶ σπηλαίοις κρυπτομένων, καὶ πάντων τῶν πιστῶν πανταχοῦ ἐκζητουμένων καὶ ἀναιρουμένων καὶ ἐν γῇ καὶ ἐν θαλάσσῃ καὶ ἐν νήσοις καὶ κατὰ πόλιν καὶ χώραν σφαγιαζομένων καὶ δικαίων αἱμάτων ἐκχυνομένων καὶ θηρίοις παραβαλλομένων καὶ ζώντων ἀνθρώπων παραβαλλομένων καὶ νηπίων προσκρουομένων. Τότε τάραχος ἔσται τῷ κόσμῳ πολύς. Τότε πόλεις ἔσονται ἀοίκητοι καὶ θάλασσα ἄπλαστος καὶ πᾶς ὁ κόσμος ἔρημος, τῶν μὲν ὑπὸ λιμοῦ διαφθειρομένων, τῶν δὲ ἀπὸ δίψης, ἑτέρων ἀπὸ φόβου καὶ θλίψεως ἐκλειπόντων. Διὰ τοῦτο προειδὼς ὁ Κύριος λέγει· „Εὔχεσθε, ἵνα μὴ γένηται ἡ φυγὴ ὑμῶν ἐν χειμῶνος [3]) μήτε ἐν σαββάτῳ" [4]), μήτε ἀργοῦντας ἀπὸ δικαιοσύνης εὕροι, μήτε ἀσχολουμένους ἐν βιωτικοῖς πράγμασιν ὡς ἐν χειμῶνι, „μήποτε αἰφνιδίως ἐπιστῇ ἐφ' ὑμᾶς ἡ ἡμέρα ἐκείνη ὡς παγίς" [5]). „Εἰ μὴ γὰρ ἐκολοβώθησαν αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι, οὐκ ἂν ἐσώθη πᾶσα σάρξ· διὰ δὲ τοὺς ἐκλεκτοὺς κολοβωθήσονται αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι" [6]). Μετὰ δὲ τὴν θλίψιν (et sic desinit).

---

[1]) Dan. 12, 11. [2]) Apoc. 13, 16.
[3]) Contra paulo inferius: ἐν χειμῶνι. [4]) Matth. 24, 20.
[5]) Luc. 21, 33. 34. [6]) Matth. 24, 22.

NOTANDA.

Pag.	48.	lin	6.	pro respicit . . . patriarchum lege respiciat . . . patriarcham.
„	52.	„	4.	ab infra pro τῆν lege τῆς.
„	73.	„	5.	„ „ „ consulum lege consultum.
„	112.	„	2.	„ „ „ Κῦρος loc. cit. exstat Κύριος.